









Post Mortem R. P. Gregorij
Cessit ad usum hic Liber
Fr̃i D. Thomæ E.C.M.C.
1794.









R.P. JOANNIS NADASI S.J.
ANNUS CÆLESTIS.

COLONIÆ AGRIPPINÆ
Apud HEREDES THOMÆ von COLLEN
ET
JOSEPHUM HUISCH 1725
Cum privilegio Cæsareo

R. P. JOANNIS NADASI,
è Societate JESU.

ANNUS CÆLESTIS
JESU REGI,
PP. Eremitar. ET Camaldulen.
MARIÆ REGINÆ
SANCTISQUE OMNIBUS
Insulae sacer: Vigrensis.

AD SUPPEDITANDAM QUOtidianis meditationibus, piis desideriis, & colloquiis, novam indies materiam, opportunus:

VNA CVM DIEBUS MARIANIS, PER quotidianas ad B. Virginem aspirationes.

EDITIO SEXTA,

VTRAQUE VIENNENSI, ET ALTERA Bononiensi, accuratior, pluribusquè accessionibus ab Auctore adjectis, multò locupletior.

(o)

COLONIÆ AGRIPPINÆ.
Apud Heredes THOMÆ von CÖLLEN
&
JOSEPHUM HUISCH.
M. DCC, XXV.

Cum Privilegio Cæsareo, Superiorumque permissu.



CÆL

Regis ,

JOSEPH

bus C

VO

di

hi

culo divin

arctiùs ill

cælestis

CÆLEST

cinnatus,

quæ tan

phœnices

divinè art

neum qu

um , can

factum, f

divini an

culo H



CÆLESTIBUS JESU Regis, MARIÆ Reginæ, JOSEPHI, ac omnium Cælitum Cordibus Cor Auctoris atque Lectoris.

VObis, ac omnibus Electorum cordibus, illis verò potissimùm, quæ hic olim, præ aliis, igneo suo vinculo divinus amor, Deo qui *caritas* est, arctiùs illigavit, sisto supplex, ad portas cælestis Urbis vestræ, ANNUM HUNC CÆLESTEM; qui amore Vestri reconcinnatus, amore Vestri legitur, ô Corda, quæ tanquam cælestes Divini Amoris phœnices, in aureo ejusdem Amoris altari divinè arsistis, ardetis atque ardebitis: ut meum quoque cor, igne Vestro perdomitum, candens vestrisque flammis colliquefactum, fiat vivus in aurea & ignea ejusdem divini amoris architecti fabricatione laterculus. *Hierusalem civitatem facit Amor Dei*, ait

ait cum S. Aug. S. Prosper. [*a*] Nempe *cælestis urbs Jerusalem* exædificatur divini amoris fabricatoris manu ac ingenio. Ædificationis lateres corda sunt verè Deum amantium. Tametsi verò corda nostra, limus a terra sint; attamen lutei & crudi hi laterculi, in plus quàm alchymistica divini amoris fornace adeò excoquuntur, ut aurum ignitum fiant; juxta illud D. *Paulini*: (*b*) *Sancti sunt aurum ignitum Deo.* Dum ergo in hoc Anno cælesti corda vestra fero & nomina fero *aurum ignitum Deo*; fero *Urbem habentem portas duodecim* (*c*) id est, menses. Nullus enim est mensis, qui non fuerit porta vestrum pluribus ad aureæ illius Urbis ingressum. Hæc est cordium vestrorum Urbs aurea; quia ex aureis Vestris Cordibus, nobili divini Amoris architecturâ, fabricata: quemadmodum auctore S. Gregor. (*d*) *in amœnis locis domus, laterculis aureis ædificari videbatur.* Atque ad magnificentissimam hujus urbis exædificationem divinus amor non aliud quærit quàm *corda*, quibus ille, ut *laterculis aureis*, fabrè utitur, atque augustè

usque

(a) *Sentent.* 221. (b) *Ep.* 4. *ad Sever.* (c) *Apoc.* 21. 12. (d) *Dialog. c.* 36.

utque illa in *aurum ignitum* erudiat, in hoc Anno cælesti porrigite nostris cordib⁹, tanquam discipulis, corda vestra, quorum tota occupatio est amare Deum quem videtis, & orare quem amatis, quæ duo ut à vestris Cordibus corda nostra condiscant, omnia Vestra Corda, nobili coagmentatione, in unum, veluti viventium divini amoris carbonum cumulum, seu in cordatam pyramidem, igneâ cordium collectione ad cælum usque porrectam, coacervata & exaggerata exhibeo in medio Urbis Amoris Dei: ut hæc vestrorum ab igne divini amoris ardentium *cordium* congregatio accendat corda linguasque hunc libellum legentium, scintillis per legentes oculos illapsis in cor, & erumpentibus in ferendas de divinis rebus collocutiones, ignito eloquio vehementer: ut *vivant corda* eorũ, qui hæc audiunt, legunt, loquuntur, vestris cordibus coædificata, *in seculum seculi*. Cor est primum nascens, & ultimum moriens. Non amavit, non arsit, cùm primùm nascens viveret in prima vitæ scintilla; vivat nunc, & ultimùm moriens ardeat pulchro vestro igne succensum; neque unquam, sub tot igneis

 magi-

magiſtris Cordibus, elangueſcat. Diſcat à vobis divina ſcitè meditari, ac loqui: diſcat vivendo mori, moriendo vivere, immortaliterque ardere: Sit denique in catalogo Cordium ſelectorum, id eſt, eorum, quæ ſummâ præ aliis, Deitatis, ac rerum divinarum perſpicientiâ, æſtimatione, amore, tanquam aureis, igneiſque ſplendoribus, implevit Deus: ille Deus, *qui eſt* infinitè bonus & pulcher; *qui eſt* prima omnis pulchri & boni originatio; *qui eſt* pulcherrima bonitas, & optima pulchritudo. Cujus amore Vos, Corda cæleſtia, flagrantiſſimè accendite cor Auctoris hujus libri, atque Lectorum: ut ſint in amoris Pyramide, ſeu cumulo eorum cordium, quæ Deum Optimum & Maximum optimè ac maximè amaverunt, æternúmque amabunt. Romæ IV, Septembr, anni M.DC. LXVI.

PRIV-

PRIVILEGIUM CÆSAREUM.

EGo infrascriptus Societatis Jesu per Provinciam Rheni inferioris Præpositus Provincialis, potestate mihi ab admodum R. P. Nostro P. Michaële Angelo Tamburino Præposito Generali ad id factâ, concedo hæredibus THOMÆ von CÖLLEN & D. JOSEPHO HUISCH facultatem ad decennium recudendi Librum, cui titulus est: Annus Cœlestis, Authore P. JOANNE NADASI S. J. eisdem Jus Cæsarei Privilegii usurpandi eatenus indulgeo, ut Librum hunc nemo alius intra decennium recudere, nemo intra S. R. Imperii fines & hæreditarias S. Cæsareæ Majestatis Provincias importare, aut venum exponere audeat. In cujus rei fidem has literas manu propria subscriptas & officii sigillo munitas dedi. Coloniæ 13. Decembris. 1724.

(L. S.)

CHRISTOPHORUS NEANDER
S. J. p. t. Provincialis ad Rhen. Infer.

APPROBATIO Censoris.

ANnum hunc *cœlestem*, ab ultimâ & eruditâ manu Auctoris sui, R. P. JOANNIS NADASI, Soc. Jesu titulo suo, ac nomini egregriè respondere, verèque *cœlestem* esse, libenter opinor; mihi assentientur, quibuscunque eximios illos fructus quotidiano usu delibare, séque ipsos tam illustribus tot

APPROBATIO.

Beatorum Cælitum exemplis, ad eorundem sedulam imitationem excitare libebit. Prodeat, itaque post repetitas alibi editiones. Coloniensibus quoque typis in lucem publicam liber ubique legi dignissimus; ad majorem (quod cum Scriptore animitùs voveo) Dei, Deiparæ, ac Sanctorum omnium, gloriam, & ultimi agonis nostri solatium sanctum. Coloniæ, die 11 Octobris, Anno Christiano M. DC. LXVI.

JOANNES FRANCKEN
SIERSTORFF, J.U.D. *Librorum Censor Ordinarius.*

PROTESTATIO AUCTORIS.

Protestor, me haud alio sensu, quicquid in hoc Anno referre, accipere, aut accipi ab ullo velle, quàm quo ea solent, quæ humana duntaxat auctoritate, non autem divina Catholicæ Romanæ Ecclesiæ, aut S. Sedis Apostolicæ, nituntur; iis tantummodò exceptis, quos eadem S. Sedes Sanctorum Beatorum, aut Martyrum catalogo adscripsit: juxta Decretum Urbani VIII. 5. Junii Anni. M. DC. XXXI.

JOANNES NADASI
è Societate Jesu.

AUCTOR

AUCTOR LECTORI optimam salutem.

De usu Anni cœlestis & meditatione.

D*Ario ad Alexandrum iter adornanti, comes adfuit Sisygambis Regina Mater, duodecim gentium equites; Persarum, dictorum* immortalium, *decem millia; & trecenti sexaginta quinque* juvenes, puniceis amiculis velati, diebus totius anni pares numero. (a) *Hic liber à me ductus, ac reconcinnatus, ad te majore pompa vehitur, Lector. Est hic non Sisygambis, Darii, sed* MARIA, *Dei Mater, in hymno veteri* (b) *dicta* Kalendarium, habens omnium Sanctorum merita. *Sunt hic plus quàm decem millia verè* immortalium, *non Chinensis* cæli Mandarinorum; (c) *sed qui sunt Dei* comites perpetui *palatini; proceres immortalitatis, ævi perennis principes, dynastæ beatitatis, hæredes regni, archontes æternitatis, heroës cæli, antesignani gloriæ, primores augusto perpetui honoris diademate immortaliter coronati, denique fortunatioris quæ unquam, vel usquam est, felicitatis, inexuperabiles possessores, & infinitè amati, ac honorati cælestis*

(*a*) Curtius lib. 1. cap. 7. (*b*) Diar. MAR. 1. Maji. (*c*) Jarric. Thes. Indic. tom. 2. pag. 27.

regni optimates, Basilides *veterator* (a) *trecentos sexaginta quinque cœlos comminiſcitur, ſinguliſque Angelos ſuos aſſignat. Cape, mi Lector, amplo complexu, cape tot hic cælos quot dies in hoc Anno ſeu libro, velut in Atlante, cæli bajulo: in quo habes mappam cæli; breviarium, enchridion, pantheon Beatorum, pinacothecam Vrbis æternæ. Zeuxis, dum æternitati pingeret Iovem ſuum, omneſque Deos adſtantes, nomen ſuum, aureis literis intextum, oſtentabat in teſſeris palliorum, hic Deus verus æternitati pingitur, in corona Sanctorum, quos tibi in hoc libro affero. Legamus nunc tot in hoc libello libros, quot Sanctos, donec nos extrema hora illi æternitati tranſcribat, ubi in bibliothecâ gloriæ legamus, ad lumen gloriæ, nomen noſtrum, aureis amoris typis, in libro vitæ, impreſſum.*

Allatæ ſunt literæ ab Eliâ Prophetâ *è paradiſo,* (b) *quò ille curru igneo, equis igneis, per turbinem, aſcenderat. Aſcenderunt omnes Sancti, & Sanctæ Dei in cælum; vecti curru igneo aureæ charitatis. En, ab illis, tot velut epiſtolas tibi, Lector fert Annus hic meus, quot dies habet,* Oppianus *ea, quæ de animantibus memoriæ commendavit, aureis literis conſcripſit* (c) *Copres, in Vitis Patrum, de Sanctorum virtutibus diſſerens, viſus eſt ea, quæ dicebat, pronuntiare è paginis libri, aureo charactere conſcripti* (d) *Aureo gemmeoque calamo eſſet opus, ad Empyrios hos cæli primates deſcribendos, qui habitant in aureâ æternitate, apud illum, qui dicit;* (e) Cælum ſedes mea; terra

(*a*) Apud Bungum in Appendice myſt. n. 365.
(*b*) 2. Paral. 21. v. 12. (*c*) Nieremb. nat. Hiſt. l. 1. [illegible]
[*d*] Roſvveid. in vit. PP. lib. 8. pag. 752. (*e*) Iſ. 66. v. 1.

terra autem scabellum pedum meorum. *Scabellum Darii habebat tria millia talentorum auri; cervical autem, sive cubiculum, quinque millia talentorum auri. At & scabellum & cervical Darii, unà cum terrâ reliquâ* Dei scabellum *est. Hi, quos hic adduco, habitant cum illo, de quo verè dictum est;* (a) Gloria, & divitiæ in domo ejus. *Ad hos quotidie te ducet Annus iste cælestis; ut mendicitati tuæ variè consulas, ope illorum. Ajunt Sacræ Literæ, Enoch fuisse translatum cùm esset trecentorum sexaginta quinque annorum. Eamus, mi Lector eamus quotidie ad illos, qui ad æternitatem translati sunt.* Anni tui hodiernus dies *inquit, Deo loquens Augustinus.* (b) *Hodie ergo, &* per singulos dies, donec hodie cognominatur, [c] *ingrediamur illum diem æternum, cujus horologium unam æternitatem habeat pro rotis: ingrediamur hisce ducibus, qui nobis occurrent quotidie; adeò, ut anni unius intercapedine, omnes aureæ illius Vrbis plateas, & vicos obire possimus Hungaria, nobilis* MARIÆ *familia olim dicta, totum annum cælestem habet; singulis mensibus cælesti quopiam nomine insignitu. Ab Hungaris enim Ianuarius,* Beatæ Dominæ Mensis *dicitur: Februarius & Martius; ille* prior Quadragesimæ, *hic* posterior Quadragesimæ mensis *vocatur:* Aprilis *est* S. Georgii mensis, *Majus,* Pentecostes; *Iunius* S. Ioannis Baptistæ; *Iulius.* S. Jacobi; *Augustus*, parvæ, *seu* illustris Virginis Dominæ, *September* S. Michaëlis; *October* omnium Sanctorum; *November.* Sancti Andreæ; *December.* Nativitatis Christi. *Alphonsus Rodriquez è Socie-*

A 7

(*a*) Psalm 111. v. 3. (*b*) Lib. 1. Confess. cap. 6. (*c*) Hebr 3. v. 3.

cietate JESU, cœlestes faciebat suos dies, delectis viginti quatuor Sanctis, & in horas diei totidem distributis, quos ille pro felici contra mortale peccatum, & pro morte beatè obeundâ præsidio, Patronos colebat quotidie. P. Cosmus Alemannius, eiusdem Societatis, quotquot in omnibus bibliothecarum libris Sanctos poterat reperire singulos unâ, ut minimùm, oratione Dominica & salutatione Angelica honorabat, pro die ultimo feliciter exantlando. Plura de hoc argumento dixi alibi (a) Singuli dies, horæ singulæ, ad extremas felicis mortis prosperitates munienda sunt, ut lectulum nostrum extremum plus quàm sexaginta fortes custodiant. Nullus dies, nulla hora est, cui non possimus cœlestes propugnatores circumdare. Cum trecentis sexaginta quinque juvenibus purpuratis, ivit ad Alexandrum Darius: te Sancti plures deducent ad regiam, illa splendidiorem, quam olim legi, fuisse trecentis sexaginta quinque gradibus, gemmisque sublimem. E trecentis sexaginta quinque filiis pretiosis nobile textum habuit olim Amasis, Rex Ægypti: tu tibi, pro stola gloriæ contexenda, unum hinc aureum filium elaborabis quotidie. Annus habet dies trecentos sexaginta quinque: invenies hic etiam die unico Sanctos totidem. Si horas singulas in sexaginta (ut vocant) minuta distribuas, dies unus mille, quadraginta minuta complectitur. Vnicus XXII. Iunii dies, plures tot minutis dat Martyres; quippe mille quadringentos, octoginta Annus horas habet facilè octies mille septingentas sexaginta: eodem

(a) Capite 14. & 15. in Pretiosis Occupationibus morientium in Societate Jesu, Romæ, Anno 1657. impressis.

dem XXII. *Iunii die decem millia Martyrum crucifixorum reperies; & IX. Iulii Romæ cæsos, decies mille, ducentos ac tres: ut Vrsulam, undecim millium Virginum Martyrum Imperatricem, & illa quæ* XXVI. *Aprilis coluntur, Martyrum septendecim millia, taceamus, adde illud Hieronymi apud Drexelium*,(a)*affirmantis, quòd si Martyres, in trecentos sexaginta quinque dies anni, distributè partitos, Ecclesia quotidie, alios ex aliis celebraret, atque, in singulos dies, quinque millia Martyrum celebranda susciperet; venerationem illam necdum ad omnes Martyres perventuram. Cùm verò eorum numerus, quos, ad hunc usque diem, incruenta mors æternitati beata dedit, omnem Martyrum numerum supergressus, longiùs longè, ac latiùs porrigatur; angusti annis cælestibus erunt annales maximi, quos vocabant augusti anni Platonici: atque adeò quilibet dies noster erit omni ratione protectior, pluribus opinione nostra è cælo defensoribus, in tutelam propugnationemque nostram intentus, si singulos cujuslibet diei Sanctos persanctè imploramus: id quod agit Annus iste cælestis. Cujus* usus *trifariam ferè dividi potest.*

Primus *erit eorum, qui, simplici diei cujuslibet lectione manè contenti, Sanctos quotidianos, divino amori in corde accendendo, accersunt, eosque ea propter diebus horisque singulis præficiunt; & ansam simul perscitè capiunt, scintillas pias hinc, pro piis allocutionibus, vel privatis colloquiis, inserendi.*

Alter usus *erit eorum, qui juxta tres orandi modos, à S. Ignatio, Societatis* Jesu *Fundatore in* Exer-

(a) Cæli lib. 2. c. 9. §. 1.

Exercitiis præscriptos, iis utentur; quæ hic legent. Iuxta primum orandi modum. Sancti virtutes discutient; attendentque conscientiâ introspectâ, quo pacto virtutem hanc, vel illam, coluerint, aut contra eam prolapsi sint, ut emendent. In secundo orandi modo, eam quæ in præsentem diem occurrit, Orationem, ita, ut in Anno hoc cælesti perscripta est recitabunt, & in prima ejus voce, vel sententia meditationis pedem figent, quamdiu circa eam variæ illis significationes, similitudines spirituales gustus, & aliæ commotiones devotæ incident: & ita deinceps per singula ejusdem Orationis verba, & Sanctorum reliquorum catalogum, ubi aliquid occurrit notabile. In tertio orandi modo se exercebunt, per quandam vocum, & temporum commensurationem: & velut inter spirationem ut inter singulas respirandi vices, Orationes illi diei assignatæ, verba transmittant, expensâ interim vel significatione prolatæ vocis; vel personæ, ad quam Oratio spectat, dignitate, vel ejus, qui orat, vilitate; vel utriusque differentiâ.

Tertius denique usus est pro iis, qui sunt addicti orationi illi, quam mentalem vocamus. Hi pro Oratione præparatoriâ dicant, dum meditationem aggrediuntur: Credo, spero, amo, adoro te in cælis hîc, & ubique præsens Deus Meus & omnia! Rogo te per JESUM Regem, & per MARIAM Reginam Sanctorum omnium, & per omnes, hodiernæ potissimum diei, Sanctos tuos, miserere mei! Da mihi uberem gratiam, ut vires, atque operationes meæ omnes, hodie, hâc horâ, & totâ vitâ meâ, sincerè, ad gloriam tuam & cultum, tendant, ex motivo amoris tui, tui, Deus; Lectio, erit loco memoriæ

Prælu-

Prælludia *seu compositionem loci*, *dabit variam ipsa, de præsentis diei Sancto, quæ fusius ponitur in Anno hoc cœlesti, historia* *Unde etiam facilis occasio capi potest* petendæ *à Deo per illum, ac reliquos Sanctos illius* virtutis,*cujus ibi fit mentio*. Meditationis *puncta* (*licet punctorum vocabulum, & numerus taceatur*) *sunt singulæ periodi, earumque particulæ*. intellectu *expendendæ*, voluntate *regustandæ, in* Oratione, *quæ ad Sanctum præsentem dirigitur*. Colloquii, *cum* Deo, *cum* B. *Virgine, cum Angelo Custode* Sancti, *vel nostro,cum* Sanctis, *materiam præbebit extrema*. *Orationis, ad* Sanctum *directæ, pars; è qua semper* affectus *aliquis delibari potest, &* peti *id quod ad mortem felicem nobis maximè necessarium est. Dabit uni meditationis puncto materiam etiam ad Beatam Virginem aspiratio, quæ ad calcem cujuslibet diei adjecta est; quippe deprompta ex aliqua re notabili de B. Virgine, quæ occasione* Sancti, *eo die currentis, vel ex alio capite, ad illum diem refertur; quod nempe illo die contigerit, vel, quòd eo die in tabulas sit relata, vel, quod* Sancti, *quorum contigit memoria eo die, in variis Martyrologiis celebretur. Vale mi Lector, usque in dies & annos æternos! tibi, mihique impetra, ut in Anno cœlesti Deum*, Deiparam, *Sanctos, & nos invicem, videamus, æternumque amemus, immortaliter beati, eoque contenti*.

CA-

CATALOGUS AUCTORUM.

PERmolestum fuisset implere margines repetitis plurium Auctorum nominibus. Quare do in capite libri Auctorum, seu Scriptorum nomina; è quibus licebit accurato Lectori, si volet, Sanctorum chronologiam, quis ante alium vel post floruerit, & alia plura, investigare, Auctore hujus Anni cœlestis in pietatem, ac solidum virtutum succum nervumque potius, quàm in alia, quæ passim habere possunt, in hac brevitate intento.

Acta Sanctorum Ioannis Bollandi, & Godefridi Henschenii, S. J.

Albertus Koyalovviz S. J. in variis Opusculis de Litania.

Annus dierum memorabilium Soc. JESU, ab Auctore conscriptus.

Bartholomæus Fisen S. J.

Breviarium Romanum; & varia nationum, ac Religiosorum Ordinum Breviaria.

Diaria seu Ephemerides variorum, Georgii Colvenerii & Antonii de Balingen Latinè; Felicis Ghirardi, & Francisci Marchesii, Italicè; Leonardi Mayr, Germanicè, &c.

Ecclesiarum variarum tabulæ apud antiquarios, Henricum Canisium, & alios.

Fasti Mariani, scripti à PP. S. J.

S. Franciscæ Romanæ acta ms. in archivo Turris Speculorum Romæ.

S. Ger-

S. Gertrudis vita Italicè libris V. conscripta à Ioanne Landspergio.
Ejusdem selecta Romæ Latinè impressa.
Hermanus Crombach S. J.
Hippolytus Marracius in Opusculis Marianis.
Historia Ecclesiastica Baronii, & aliorum.
Ioannes Baptista Guesnay S. J.
Ioannes de Bussieres S. J.
Ioannes Ferrandus.
Matyrologium Gallicanum Tomis duobus: Hispanicum Tomis sex: Ferrarii, & alia tùm antiqua, tùm recentia, etiam Ordinum Religiosorum Monelogia.
Mattheus Rictius. S. J.
S. Mechtildis libri gratiæ spiritualis.
Melchior Inchoffer S. J.
Miracula typis vulgata, ab Ordinariis approbata.
Octavius Cajetanus S. J.
Ocho Zylius S. J. de B. V. Silvaducensi.
Paulus Berschart de B. V. Einsidlensi.
Petri Ribadeneira S. J. Flos SS.
Silvester Petra sancta S. J. de miraculis.
Surii Vitæ auctorum in editione Coloniensi auctiore.
Thomas Auriemma de S. Anna &c.
Vitæ variæ Sanctorum, ac Beatorum, singulatim conscriptæ, ut S. Bernardi, S. Francisci, S. Ignatii, S. Xaverii. B. Aloysii &c. S. Catharinæ Senensis, & Teresiæ. S. Franciscæ, &c. item ea quæ variis annis pro canonizationibus SS. impressa sunt.

Ad majorem Dei, Deiparæ, & omnium Sanctorum gloriam.

ANNI



ANNI CÆLESTIS DIES, ET FESTA MOBILIA.

FERIA IV. CINERUM.

ADrepo cinere aspersus ad te, *cùm sim pulvis & cinis*, Deus meus, qui tuum *altare* olim *cinere mundari* jussisti: Jobum tuum cinere coopertum amâsti; David, *cinerem, tanquam panem*, manducanti, pepercisti; Sanctos plurimos, in cinere morientes, deliciis cælestibus hilarâsti. Da mihi, & felicium, & infelicium cinerum sapienter meminisse; ut à tumulis, & cineribus damnatorum discam timere te: sacri verò Sanctorum cineres ignem tui amoris custodiant in me; ne obdormiat. *Munda* caput meum, velut altare tuum, veræ Pœnitentiæ cinere; accipe omnia, & singula mea jejunia. Ea ego tibi dedico in sacrificium amoris tui, cujus imperio volo tibi, ea per Ecclesiam imperanti, obedire. Conjungo illa cum omnibus Jesu, Mariæ, ac omnium Electorum jejuniis, & meritis omnibus; ut tibi placeant, & tu me ab æterna fame, ac siti liberum, mensæ tuæ cælestis participem facias, & illam, pro qua hæc jejunia tibi offero, animam (quæ ex Purgatorio proximè libe-

liberanda est) citiùs in æterna regione amoris, lucis, & pacis constituas: ut ibi te amet, ac pro me oret; ut in amore infinitè amabilis Dei mei crescam quotidie. Miserere mei æternùm, ô Rex æternæ gloriæ, qui verè pœnitentibus pro cinere, das coronam.

FERIA V. IN CÆNA DOMINI.

PRostratus coram te, ad Judæ pedes prostrato, adoro, & exosculor divinas illas tuas manus, meumque cor ad Joannis, aliorùmque Apostolorum pedes, à te lavandos, abjicio, ut illud abluas; & deinde Eucharistico tuo epulo saties, ô Auctor admirabilis illius Sacramenti! Gratias tuo amori, pro illo mysterio fidei nostræ, pignore spei nostræ, Sacramento charitatis æternæ. Tu te totum in illo mihi das, cum corpore, animà, & divinitate. Da, ut ego vicissim totum cor, totum corpus, & animam, & manus, & pedes, & oculos, & quicquid sum, reddam tibi, qui aliàs tuus sum: ut omnes facultates corporis & animæ meæ, nihil agant aliud, quàm quod tu vis. Age in corpore meo, anima mea (ut domum tuam ingressus) quicquid vis: dispone in me, de me, de oculis meis, de corde, ac omnibus occupationibus meis, prout vis: illas ego tuæ gloriæ & amori dedico universas, ac, tuo sanguine imbutas, volo usquequaque pendere è tui amoris directione, amussi, atque imperio: donóque illas illi animæ, è Purgatorio liberandæ, quam tu vis.

FERIA

FERIA VI. MAIORIS HEBDOMADÆ.

SAlve JESU Nazarene, Rex Judæorum, Monarcha æternitatis! *Vesperi* pedes lavans, orans, sanguinem sudans, capte, vincte! *nocte* illâ apud Annam, & Caipham; *manè facto*, in aulis Pilati, & Herodis accusate, percusse, illuse, flagris concise, spinis coronate; *hora sextâ* crucifixe; per *tres horas* pendens, &, Sole obscurato, Patrem, Matrem, Joannem, conversum latronem, allocute; *horâ nonâ* cum voce magnâ clamans, & expirans; *serò* de cruce deposite ac sepulte. Et hæc omnia pro me ingrato! Ecce vespertinas, nocturnas, matutinas, postmeridianas horas omnes, tuo sanguine, tuis cruciatibus implevisti mihi; ut nulla hora sit, quâ aliquid pro me non tuleris. Tui sint ergo, tui sint omnes dies mei; tuæ sint noctes meæ, ac singulæ horæ meæ: & quicquid in illis cogito, dico, ago, sit tuum. Ego sum felix ille, (atque utinam deinceps non ingratus!) quem tu tanto Sanguine, pretio tanto emisti! Rogo te per illum ipsum Sanguinem, ne permittas, ut me ulli vendam: ne permittas, ut etiam ad tibi serviendum alio incitamento movear, quàm amoris tui. Hujus Sanguinis tui divinus calor dissolvat glaciem animæ meæ; sit balneum tepidi cordis mei, ut mundo corde te amem, amemque ardenter, nec amare priùs desinam, quàm vivere; sicut tu me dilexisti usque in finem. Doce me amare amore non otioso non ignavo, sed quali tu me amâsti: & fac, ut æterna mea occupatio, in die æternitatis, sit, amare te, & mortis tuæ, tam acerbæ, fructum dul-

dulciſſimum, unà tecum capere, tibique gratias, laudes, amorem, gloriam immortaliter canere, Jesu, ô Jesu Nazarene, Rex ſæculorum, Rex cordium, & feliciſſima beati amoris æternitas. Amen.

DIE PASCHATIS.

Sancte JESU, *per ſanctam Reſurrectionem tuam* te rogo, fac me Sanctum: reſuſcita me cum Sanctis illis, de quibus dicitur: *Multa corpora Sanctorum, qui dormierant, reſurrexerunt. Et exeuntes de monumentis, poſt reſurrectionem ejus*, id eſt tuam, *venerunt in Sanctam civitatem, & apparuerunt multis.* Duc me in ſanctam civitatem tuam, in quâ tu es: fac me ita vivere, ſicut Sancti, à te reſuſcitati, vixerunt tecum. O vere Agne, qui abſtuliſti peccata mundi! aufer & mea, qui mortem noſtram moriendo deſtruxiſti, deſtrue & meam, qui vitam reſurgendo reparâſti, repara & meam. Hactenus cuſtodiebaris mortuus in ſepulchro, nunc vivus cuſtodi meam animam in vitam æternam; cuſtodi me; ut ſciam te vigil in corde meo cuſtodire, ne te amittam. Doce me ita inter homines verſari, ſicut tu verſatus es; de divinis loqui, ſicut tu locutus es: regna in me; ne peccatum regnet in me: da, ut vivam tibi, mihi mortuus: ne, ſi mihi vivam, moriar tibi. *Alleluja*, cor meum; *Alleluja*, cogitationes meæ, verba mea, opera mea, *laudate Dominum*, dicite & facite ea, quæ ſint in laudem Dei. Sancte JESU, fac ſanctos omnes ſenſus meos: da illis *fœlix Paſcha*, felix phaſe, felicem *tranſitum* à moribus te-

pidis

tepidis, dissolutis ad sanctos, ab amore temporalium ad studium æternorum, ab hac vita ad vitam æternam, & Urbem illam, *per cujus vicos Alleluja cantabitur*; ut ibi, cum *Apocalypticis* tuis cantoribus, cum voce turbarum multarum, seniorum, throni, aquarum, tonitruorum magnorum, cantem tibi, *Alleluja! Salus & gloria & virtus Deo nostro: gaudeamus, & exultemus, & demus gloriam Tibi!*

DIE ASCENSIONIS.

ADoro te, victoriose triumphator Jesu, ascendentem in jubilatione; in voce tubæ. O qui ascendens in altum captivam duxisti captivitatem: gratulor tuæ magnificentiæ, super cœlos elevatæ: Fac me magnificum in sanctitate: ne derelinquas me orphanum: da mihi dulcissimam Virginem Matrem tuam, qui dona dedisti hominibus. Omnis pulchritudo tua elevata est super sidera: da, ut omnis amor meus habitet ibi tecum, in amore veræ pulchritudinis occupatus, ut me bene parem ad vocem tubæ novissimæ. Tu scis, quid me captivum teneat, ne liber amem te, illam meam captivitatem captivam ducas in triumpho tuo. O JESU, qui es plusquàm Elias, curru igneo hinc abreptus; fiat super me spiritus tuus duplex; timoris, quo timeam Deum tuum, & Deum nostrum; amoris, quo amplectar Patrem tuum & Patrem nostrum, ad quem ascendis. Ideò flecto genua mea supplex, & per admirabilem ascensionem tuam rogo te, ut benedicas mihi in benedictionibus dulcedinis, quæ mihi amara reddat ea, quæ corrupto mundi palato sunt dulcia, & dulcia faciat, quæ illi amara sunt. Benedic mihi, & trahe

me

me post te; ita ut sequar te usq; ad cælum, quò tu tuis viribus ascendisti, & ego ascendere viribus meis non possum, sed tuis possum. Educ me in altum; ut mihi quotidie ascensiones in corde disponenti, & altiùs ascendenti, hæc infima, minora semper, & minora videantur, & sicut Ignatio tuo, ita mihi, sordeat terra, cùm cælum aspicio, aspiciensq; corde ascendo.

DOMINICA PENTECOSTES.

VEni, amor Deus, veni Numen, & lumen: mitte ignem tuum in ossibus meis, & erudi me; da linguas igneas, & doce me tacere, ac loqui: lava, riga, sana, flecte, fove, rege sordidum, aridum, saucium, rigidum, frigidùm, devium cor meum, fac, ut verè amet. Displicet mihi: quicquid mali fit contra te! placet mihi, quicquid fit boni! atque utinam prohibere possem mala omnia; & bona, quæ fiunt, augere omnia, ac omnium cordibus amare te, singulisque momentis vitæ meæ tantum facere boni, quantum factum est ab ullo unquam! ut quemadmodum tibi displicet is, qui aliena peccata facit sua; ita tibi placeam ego, cum arte amoris tui, aliena bona opera omnia facio mea, gratulando de illis tibi, & optando illa omnia facere infinitè. Gaudeo fieri ab aliis ea bona, quæ à me fieri non possunt; vel quæ per ignaviam omisi, cùm possem. Utinam mea omnia omnium peccata possem in pretiosissimos, tibique gratissimos excelsæ erga te charitatis, actus, adeoque ipsas inferni flammas (si id tibi placeret) in æternum tui amoris ignem convertere, ac omnia corda frigida linguis

igneis tibi accendere! Quicquid boni accepit ullus à te, gratias ago tibi! Quicquid boni fecit ullus, gratulor tibi, & illi! Ego valdè parùm possum, & minus facio; accipe, pro supplemento, gaudium, quo gratulor omnibus Electis tuis, pro omnibus bonis, quibus delectant te! accipe desiderium, quo opto, ut ameris; utinam tot Seraphicorum chororum cordibus, quot tu mente tua infinità potes concipere! O Patris, ô Filii amor æterne: gratulor, quòd sis Deus! Gratulor; quòd infinita illa pulchritudo, & bonitas ametur à se ipsa tantum, quanta est ipsa: & peto, ut ille tuus erga te amor, sit magister meus, & operiat multitudinem peccatorum meorum, ac prorsus exurat dolore, qui ab amore tuo ardere discat, meque tibi in holocaustum dare.

DOMINICA SS. TRINITATIS.

CRedo, spero, amo te, SS. Trinitas, unus Deus, incomprehensibilis cogitatu: veritas, fidelitas, pulchritudo, sapientia, bonitas infinita! Offero tibi pro libello supplici, omnia merita JESU, MARIÆ, omnium Electorum; & rogo, ut tuis beneficiis benè utar semper. Quicquid boni de te scriptum habent bibliothecæ omnes; quicquid boni de te scripsit, vel cogitavit ullus; quicquid in thesauro scientiæ tuæ est, quod tibi offerri à me possit, id omne tibi offero; in gratulationem de bonis tuis, in gratiarum actionem pro donis tuis, in satisfactionem pro malis meis, in impetrationem amoris, quo te magis, ac magis amem semper, usque in diem pulchrum amoris æterni. Illo magistro, doce me

omnia

omnia optimè, ac maximâ diligentiâ facere; quia illa facio tui amore, qui optimus, & maximus es, ô pretiosissime, ô pulcherrime, ô nobilissime, ô gloriosissime Deus meus! deliciarum omnium primæ, ac summæ deliciæ, affluentissima dulcedo, infinitè infinita immensitas, divina majestas, omnis boni, quod amari potest, thesaurus unicus, pura voluptas, SS. Trinitas, unum verum bonum, & ultimus finis meus!

IN FESTO CORPORIS CHRISTI.

GRatulor tibi, Deus, hic in Sacramento amoris verè abscondite, de omnibus triumphis, atque deliciis, quibus exultâsti unquam, in visitandis animabus, tibi placentibus, quæ te ore, & corde mundo unquam susceperunt. O omnes Sancti, & Sanctæ Dei, quos singulari erga hoc amabile mysterium amore accendit Deus, præparate me: date frigido meo cordi veros igniculos de illo vestro incendio. S. Catharina Senensis, quæ inter communicandum, igne, ac corde cælesti perfusa es; quæ idem sanctissimum Sacramentum, instar ignis ardentis, vidisti; impetra mihi ab illo amorem verum, non fucatum. Domine JESU, da, ut hoc Sacramentum sit mihi amoris veri gymnasium, qui me, me ipso exutum, faciat quærere id, quod tibi placet; faciat tibi annuere, cum aliquid inspiras, faciat, ut negē mihi omnia, quæ dictat mihi amoris proprii instinctus, tu sis alimentum amoris mei. Fac, ut amorem dolore acuam; dolore cordis, de socordia mea tanta, dolore corporis, in carnis odio, amorē

tui ſuſcepto: fac, ut quicquid agam, agam id inſtinctu amoris tui, quò, ad recipiendam in hoc Sacramento tuam gratiam, ſemper magis reddar idoneus. Utinam poſſem omnibus, quæ per Orbem terrarum fiunt, ſacrificiis intereſſe! Offero tibi omnia, quæ facta ſunt, quæve fient ſacrificia; & cogitationes meas omnes, verba, ac opera, illis conjuncta, tibi ſacrifico, imbuta pretioſo Sanguine cruenti ſacrificii tui, & meritis dulciſſimæ Virginis Matris tuæ, ac omnium Electorum, ut illis imbuantur, & permiſceantur, ſicut ſpongia in corde maris demerſa, ſicut aquæ gutta in dolio vini pretioſi, ſicut duo minuta æternis gazophylacii cæleſtis theſauris permixta, idque totum deſidero è puro amoris tui motivo; quia dignus es, quia Deus es.

DIE DEDICATIONIS TEMPLI. & infra Octavam.

SIcut hiſce diebus anniverſaria templi hujus tui dedicatio inſtauratur; ita ego, novâ dedicatione me de integro tibi conſecro. Deus, *qui voluiſti templum tuum in nobis.* Sim ego vivum templum tuum. Fac, ut hujus templi *altare aureum* ſit cor meum; cujus Sacerdos ſit amor tuus, qui ei, alendo divino igni tuo, *ligna* ſuggerat *per ſingulos dies.* Sint oculi tui, & cor tuum in hoc templo tuo; ut oculos meos, & cor meum cuſtodiant, & faciant, ut ſemper te geram in oculis, & in corde. Ita cor meum erit domus orationis aſſiduæ, locus ſanctus, inæſtimabile Sacramentum. Scribat ſpiritus amo-

ris tui, dexteræ tuæ digitus, in hac templi tui dedicatione, in corde meo, *alphabetum* amoris tui. Tu illud asperge Sanguine Christi tui, ac lachrymis Magdalenæ, Petri, Augustini, aliorumque Sanctorum, de peccatis suis, è vero amore, dolentium. De vivis, & electis virtutum, tibi maximè placentium, lapidibus, architecto amore tuo, in me *æternum majestati tuæ præpara habitaculum*: ut cor meum sit aurea domus tua, quies tua, tuæ deliciæ. Appende templo huic tuo, velut campanas argenteas, imò aureas, pretiosa, & sonent exempla Sanctorum; ut inspirationibus tuis obedienter obsequar, illosque imiter; in amore tui potissimum, in quo illi tibi super omnia placuerunt. Nec Salomonis templum fuit adeò sumptuosum, quàm hoc meum, seu tuum in me, cujus ædificatio, expiatio, dedicatio constitit *pretio magno valdè*, Sanguine Filii tui, Deus! Vestias ergò illud cedris Dei. Cogitationes meæ sint in illo tibi *Sancta Sanctorum*. Pone in medio ejus tuæ voluntatis *oraculum & arcam fœderis* æterni, sacratissimam Virginem Matrem, quæ est *fœderis arca*. Operi illud *auro purissimo*, affige in illo *laminas* legis tuæ *clavis aureis* amoris tui; sed prius confige timore tuo carnes meas; ut amore cor & caro mea, in te tantò magis exultet. *Nihil erat in illo* templo, *quod non auro tegeretur*. Tege, imò imbue intus & foris, quicquid cogito, dico, ago, illo tuo *auro ignito*, quod nascitur in montibus sanctis, in corde tuo, Deus! ut *nihil* in me sit, quod amore illo solido coopertum non sit. Pone in me auro tectos *Cherubinos*. qui me doceant scien-

tiam Sanctorum, id est, amoris tui, adde Seraphinos, qui me pretioso illo tui altaris igne perpurgent, illuminent, ac inflamment: ut ita igneis, & aureis Seraphinorum, ac Cherubinorum alis, ope tuà, ad te subvectus intellectus meus, & voluntas mea videat te, amet te, ac immortaliter vivat in te, *in templo sancto gloriæ tuæ.* Amen.

AD ANGELUM CUSTODEM quotidie.

AMantissime, dulcissime, solertissime mi Angele Custos, dux, protector, magister, amice verè fidelis, verè thesaurus immortalitatis meæ! Gratias ago Deo meo, pro te mihi dato, & pro donis omnibus, quibus ornavit te. Gratias ago tibi; quòd me sanctè, à prima nativitatis meæ hora, protexeris. Perge, usq; dùm me sistas Deo ibi, unde ad me custodiendum es missus. Doleo, quòd non semper fuerim ad omnem tuum nutum; quòd te contristaverim, quando feci aliquid, quod placebat Angelo tenebrarum! suggere cordi meo, quæ Deus vult; & tardi cordis mei duritiem, ac surditatem vince. Sensus meos omnes, & cor meum guberna, MARIAM Reginam nostram, & Sanctos omnes, ac Sanctas Dei, præcipuè Patronos, & Patronas meas, tibi pro auxilio adjunge: totum me sacratissimæ Trinitati, per JESU sanguinem, & MARIÆ manus, ex toto dedica, in holocaustum æternum: omnes omninò (etiam quas indifferentes dicimus) actiones meas, ad majorem Dei gloriam, offer ad thronum gratiæ ejus, & gloriæ.

Nunc,

Nunc, & in hora mortis, ita mihi, cum sociis tuis Angelis & Sanctis, ope tuà assiste, ut omnia, & singula momenta vitæ, ac mortis meæ, sint mihi tibique æterno solatio; Jesu, & Mariæ, æterno honori, & amori, in felici beatorum Angelorum æternitate, in qua gratulor, quòd manseris fidelis, cum fidelibus Seraphinis, ac aliis, non verò consenseris rebellibus, neq; cum illis præceps rueris in ignem æternum. Conserva me quoque, ut sim fidelis usque ad mortem ac immortaliter amem Deum, unà cum Seraphinis, tecum, & cum aliis: & sim socius fidelium, non rebellium Angelorum. Amen.

AD SANCTUM, ET SANCTOS TUI nominis.

Quo die occurrit, vel semel in mense.

SAncte N. cujus nomine, ac patrocinio me, jam indè ab ipsa baptismi mei hora munivit optimus Deus meus, commenda me Deo, divinæ Matri, ac Sanctis omnibus; illis potissimùm omnibus Electis Dei, quicumque hoc tuum, ac meum nomen in terris olim magna virtute ornarunt. Respicite, Sancti mei, ex illa æternæ securitatis, ac lætitiæ Urbe, me, vobis cognominem, hic, adhuc inter quotidiana æternùm pereundi pericula, exulem, ac timentem. Efficite, ut, sicut idem vobiscum nomen gero; ita vestro & nomini, & exemplo, sancta heroicorum vestrorum factorum imitatione, respondeam. Gratulor Deo, & vobis. Gratias ago Deo; quod

vos prædestinaverit ad gloriam & dotibus ad illam necessariis decoraverit. Gratulor, & gratias ago Angelis vestris custodibus, à quibus adjuti estis. Juvate & vos me; ut felicem hujus nominis catalogum nomine meo augeam, in libro vitæ. Placebit hoc Deo, qui me vobis, hoc nominis velut peculiari vinculo, clientem obstrinxit, & nunc me supplicem ad vos mittit. Juvaretis me petentem, si hic essetis, ubi tamen si adhuc essetis, minus possetis, juvate nunc supplicem, cùm ibi estis, ubi plus potestis, & ubi charitas longè magis perfecta est. Juvate me, ut me vincam: facite me, me ipso quotidie meliorem. Tollite à me id, quod me impedit: impetrate id, quod mihi magis expedit ad salutem; nec me deserite, usque dum, unà vobiscum coram Deo videam, & amem, atque illi, & vobis, agam gratias in æternum. Amen.

AD SANCTOS DIEI, QUO natus es, & baptizatus.

O Sancti omnes, & Sanctæ Dei, qui eodem anniversario die, quo ego natus, aut quo baptismi Sacramento renatus sum, nati, baptizati, vel diem æternum ingressi estis, rogo vos per amorem, quo jam tunc vos amavit Deus, juvate me efficacitate quàm maximâ, ut vitam, tunc hîc inchoatam, pretiosa morte concludam, nec de me verum sit id, quod verum est de Judâ & reprobis: *Bonum erat ei si natus non fuisset homo ille.* Facite, ut gratiâ efficaci adjutus, omnia, quæ in baptismi Sacramento pro-

promisi, perseveranter fidelis exequar: ac mundo, carni, diabolo, & pompis ejus, ita uti vos renuntiâstis, renuntiem factis ipsis. Gaudeo me baptismo fluminis, Dei filium factum esse: & si id factum non fuisset, nunc facerem, desiderio enim desidero, quicquid ad æternam salutem mihi necessarium, vel utile est: desidero esse in Ecclesia militante, ac triumphante, servus, & filius Domini mei, & Dei mei: quem amo, amo, amo, & magis amare desidero super omnia, quia Deus est, quia infinitè bonus, infinitè pulcher, infinitè amabilis est. Utinam possem etiam, uti sancti Martyres, baptismo sanguinis baptizari, & fieri victima in holucausto fidei, spei, charitatis! Orate, ut sim illi amoris victima incruenta, si cruenta non ero. Amen.

AD SANCTOS EIUS DIEI, QUO STABILE quodpiam vitæ institutum amplexus es.

DEus meus, & omnia, in cujus manu sunt sortes meæ, tempora mea, vita, mors, æternitas mea: rogo te per omnes electas tuas animas, quæ tibi in eo, quod ego elegi, & hoc die olim, inii, vitæ instituto, maximè placuerunt, fac, ut omnes voluntates tuas in illo ita impleam, ut placeat tibi, Domine Deus, quicquid cogito, dico, ago, omitto. O Sancti omnes, & Sanctæ Dei, qui in hoc vivendi tenore, ac formâ gratum Deo obsequium præstitistis; agite, & me quoque, magno illo erga Deum meum, & vestrum amore, ac pretiosis vestris æternæ lucis exemplis, incendite, ut ad illorum

exemplorum lumen, velut ad lucernam lucentem in caliginoso hoc loco, duce amore Dei, vos imiter; & ambulem, curram, volem per viam mandatorum Dei, quorum omnium apex, atque dulcissimum compendium est, *Diliges Dominum Deum tuum. Amen.*

AD SANCTOS EJUS DIEI, QUI TIBI erit ultimus in hac vita.

DEus, qui habes claves vitæ, mortis, æternitatis meæ, in tua manu absconditas. Tu scis, quo anno, mense, die, hora, me sis evocaturus ex hac vita. Rogo te, per quicquid amas in cœlo, & in terra, ut in hoc me exaudias, quod nunc peto; & ibi me, ac tunc, evoces, quando me videbis maximè tibi gratum, & maximo erga te amore, pro ineundis itineribus æternitatis, quàm optimè comparatum. O Sancti omnes, ô omnes electæ à Deo animæ, quarum anniversario pretiosæ mortis die diem extremum claudam in hac regione umbræ mortis, impetrate mihi (& omnibus, qui eo die in supremo agone periclitabuntur) frequentissimos, & pretiosissimos, excellentissimi erga Deum amoris, actus, nunc, ac potissimum ultimo illo die, atque momento, ut sit pretiosa, in conspectu dilecti Dei, vita mea, mors mea, æternitas mea, Amen.

ANNI CÆLESTIS PARS PRIMA,

SIVE

Januarius, Februarius, & Martius.

ANNI CÆLESTIS JANUARIUS.

1. *Januarii Kalendis Januarii.*

DEUS, JESU, MARIÆ Fili, principium, Alpha & Omega meorum annorum, ac totius æternitatis meæ centrum sanctum! da pro novo anno, te ipsum mihi, & me tibi; ut ita nomini tuo serviat annus hic meus, & omnes anni mei, hebdomadæ meæ, dies mei, horæ meæ, minuta, & momenta vitæ, ac mortis meæ: ut singula tua sint, & omnia, tuis meritis conjuncta, influant in divinum Oceanum sacrosanctæ æternitatis tuæ: ut felici morte concludam annos temporis mei, & simul inchoem nunquam finiendos annos æternos illius gloriæ, ad quam me creasti: utque *illam haberem*, ac immortaliter amarem, factus es JESUS. O JESU, qui hoc die, tenerrimis, dulcissimis, & exquisitissimis verbis, salutantis te S. Gertrudis tuæ, preces, eidem in firmamento, instar candelarum, & aureis appensis tintinnabulis, eorumque sono divinum cor tuum delectantium,

rosarum, ostendisti; ac ejus labiis, Jesu *justi nomen*, aureis, & vivis literis, impressisti: imprime vivo tui amoris auro, cordi ac labiis meis, nomen tuum, ut de te scitè cogitem, sanctè loquar, hoc anno, & semper. Tu eidem, novum annum à te, pro se, suisque sodalibus, petenti, dixisti; *Renovamini spiritu mentis vestræ*: deinde illi *considerationem regulæ* commendasti; te, id facientibus, magistrum fore, ac, *de splendore divini cordis tui, lumen* ministraturum, pollicitus, denique dixisti; gratissimum tibi xenium futurum. *cogitationes de timore, & amore Dei.* Sanctæ verò Mechtildi, hoc die, novi anni benedictionem à te poscenti, benè precatus, dixisti: *Ego sum ille de quo scriptum est; Anni tui non deficient.* & ut pro *vitâ suâ innovandâ*, mitis esset, ac humilis corde; ut auream charitatis vestem indueret, atque *ab otio*, ac *tepore* caveret, monuisti. Renova cor meum, & incende splendore cordis tui, ac imple cogitationibus tibi gratissimis, *de timore, ac amore tuo*; ne unquam tepeam, sed ardeam semper tibi, Amen.

Impetra hoc mihi à Jesu, Sancte mi Almachi, à gladiatoribus pro Jesu occise!

Sancti milites, triginta Martyres.

S. Martina Virgo, post varia tormenta; post auditas Angelorum, Christum, una tecum, laudantium, voces; post accepta centum decem & octo vulnera, è cœlo his vocibus recreata: *Hodie mecum eris in paradiso: lætare cum patribus tuis*; Alexandro verò tyranno, tunc morienti, dictum è cœlo: *Ingredere, Alexander, in clibanum gehennæ, vade in tenebras*

nebras exteriores ; tibi enim præparata est tenebrosa pœna, ad quam damnatus es.

S. Concordi Presbyter, & Mart. qui à Judice interrogatus, quo nomine vocareris? respondisti : *Christianus sum.* Iterùm rogatus de nomine dixisti : *Christianus sum.* Qui post fustes, in equuleo suspensus, dicebas; *Gratias tibi Domine* Jesu *Christe!* & vinctus in carcere : *Gloria in excelsis Deo!* Angelo, tibi dicente : *Noli timere, sed viriliter age, quia ego tecum sum.* Qui Jovi sacrificare jussus, in illum expuisti; & mori elegisti potiùs, capite amputato: post mortem, admirabili in ægros beneficentiâ, contra dæmones virtute conspicuus. Impetra mihi fortem patientiam.

S. Gregori Nazianzene, qui, cùm per quietem cantare tibi viderer is ea verba ; *Lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus*; conversus es ac baptizatus, & divinâ luce circumfusus. Qui senex, ac dolorum plenus, solo divinorum mysteriorum tempore, nihil doloris persensisti, reversis postea iterum doloribus, quasi jussi interea abstitissent. Impetra mihi cor in divinis attentum.

S. Fulgenti Ep. qui religiosâ cum probis consuetudine, & S. Augustini, in Psalmum trigesimum sextum, lectione, ad æterna exarsisti. Qui ob nimiam abstinentiam æger, nec tamen indè remissior, pro fide captus, nudatus, cæsus, capite rasus; neque tamen, licèt id posses, queri de injuria voluisti; cùm diceres : *Non licet in hoc sæculo vindictam quærere Christiano.* Inter dolores verò sic identidem suspirabas in morbo : *Domine, da mihi modò hic patientiam, posteà indulgentiam.* Doce me sanctè legere, orare, ac pati.

S. Me-

S. Mochua Abba, qui Colmannum quendam, ſuâ doctrinâ elatum, ideòque illâ privatum, & ab Angelo ad te miſſum, pulſo ab illo ſuperbiæ dæmone, à pœnâ inſcitiæ liberâſti. Ad cujus preces ignis è cælo eſt datus: qui leproſum lambens, eum curâſt; ſordes ex ægro ter exugens, illas in aurum purum divinitus converſas vidiſti. Qui cervo pro equo, pallio pro navi per aquas es uſus. Impetra cordi meo ignem è cœlo ſanctum.

S. Eugende, qui, tùm puer, apertum cælum, & Angelorum choros, ad te deſcendentes, vidiſti, canenteſque audiſti: *Ego ſum Via, Veritas, & vita*. Qui à ſeptimo ætatis anno, uſque ad ſexageſimum, nunquam pedem è cœnobio extuliſti; atrociſſimo dæmoni, puellam nobilem obſidenti, epiſtolam ſcripſiſti, & eum expuliſti; pluresque abſentes tuo chirographo perſanâſti. Quem Petrus, Paulus, Andreas, ac Martinus inviſerunt, & colloquio recreârunt. Qui tuos, iter agentes, S. Martino commendâſti; ab eo certior factus es, & ſalvos eſſe, & quando eſſent redituri. Cui moribundo SS. Lupicinius, & Romanus Abbates adfuêre; iidem, qui te olim puerum, è paternâ domo, ad ſpectandum apertum cœlum, extulerant. Fac, ut ſciam cum cælitibus converſari.

S. Clare, qui orando tempeſtatem ſedaſti, morbos perſanaſti, vineam grandine perditam reſtituiſti; dæmonem, ſtupendæ altitudinis gigantem, oculis ardentibus, ſe, ad te pellendum, miſſum dicentem, pepuliſti, dicens: *Vade ſatan. Obſiſtit tibi Chriſtus; cujus eſt terra, & plenitudo ejus.* Ad quem ægrum, cum cæli civibus, deſcendens S. Blandina, dixit: *S. Marcel-*

Marcellus, & ego tertiâ die, & hora quinta, ad te venientes, te nobiscum ad felicia regna ducemus; & ne hostis tibi nocere possit, totus iste exercitus Dei, quem vides, tecum erit. Cilicio demum immortue. Doce me orare; doce sanctè mori, & juva.

S *Guilielme*, quem utero gerens mater, se, in dextra parte pectoris, cælesti radio perfusam, te verò, luce circumdatum, ab Angelis in altum efferri vidit, & dixit: *Sancta Mater Domini Salvatoris, tibi eum committo. custodi illum.* Qui quosdam etiam per quietem visus invisere, illos dormientes de vitâ benè instituendâ commonuisti. Qui divinitùs cognitâ tuæ ad Deum migrationis die, peractis omnibus, per octo dies nulli loquens, defixis identidem in cælum oculis, jacuisti. Impetra meo pectori cæli radios, Dei Matrem, linguæ cordisque custodiam.

S *Odilo*, qui de lenitate nimiâ monitus, respondisti: *Ego volo magis de misericordia misericorditer judicari, quàm de crudelitate damnari.* Qui famis tempore sacra vasa, & dona vendita, in usus pauperum convertisti, dictus *Archangelus Monachorum.* A quo fur mappam furatus, pedibus manibusque factus est aridus; nec prius quam illâ restitutâ convaluit. Qui cæco illuminato, vitreo vase fracto, precibus restituto, pulsis febribus, aquâ bis in vinum versâ, fluminibus mirâ virtute transmissis, lumine super tuum hospitium è cœlo affuso, multiplicatis piscibus, vino, annonâq; mirabilis, primus diem commemorationis omnium fidelium Defunctorũ inter tuos instituisti, & cujus precibus, se à purgatorio liberandum, Benedictus VIII. duobus

Epis-

Episcopis visus, dixit; & liberatus, tibi gloriosus apparuit: de quo dæmones queri auditi sunt, quòd multos à via inferni averteres. Qui dæmonem, tibi morienti assistentem, per nomen tremendi Judicis abegisti; & post mortem visus, tibi *benè & optimè* esse dixisti. Fac me verum servum Dei Matris & animarum purgatorii advocatum, ut *benè* mihi sit morienti, & *optimè* mortuo, tecum, in cœlo.

$ Magne Martyr.

S. Basili Ep. cui sacris operanti Christus cum Apostolis adesse visus est.

S. Euphrosyna V. mirabilis.

S. Paule Apostole, qui, hoc die, S. Franciscæ Romanæ parvulum JESUM, divinitus acceptum, inter brachia peramanter tenenti, admirabile obedientiæ pretium, & præmium explicans, dixisti; Deum in obedientis corde mirabilia operari, ac eo mirificè delectari. *Doce cor meum, ut delectet Deum.*

OMNES SANCTI, quos felici morte defunctos, hodie felici æternitate donavit Deus.

Omnes Sancti mei nominis, & meæ patriæ, ac Patroni mei menstrui omnes.

Omnes Sancti nationis, & conditionis meæ.

Omnes Sancti, quibus sacra est illa, quæ mihi nascendi prima fuit dies.

Omnes Sancti, quibus sacra est illa, quæ mihi morienti ultima erit dies.

Omnes Sancti, & Sanctæ Dei; vos potissimum, qui in hac vita maximè excelluistis in amore Dei: tuque ô MARIA, Mater agonizantium, orate pro omnibus, hodie nascentibus, & hodie in agone supre-

supremo periclitantibus; impetrate mihi à Cruci-
fixo Jesu, felicem mortem, beatam æternitatem,
Amen. Credo, spero, amo, adoro te, pulcherrime,
ac optime, super omnia, Deus meus! & ideò de
peccatis meis doleo; ac desidero plus dolere, &
confiteri. Doleo super omnia; quod te tam ingra-
tus offenderim. Deus meus, & omnia! In gratiarum
actionem, & satisfactionem, offero tibi hujus diei,
& vitæ meæ totius, actiones, atque momenta sin-
gula, conjuncta omnibus lacrymis pœnitentium
Sanctorum; omnibus guttis lacrymarum, & San-
guinis Jesu, omnibus meritis Jesu, Mariæ, &
omnium Electorum tuorum; ut te videre, ac ama-
re, unâ cum illis, & unà tecum, merear in æter-
num, Amen.

Nota, *ab eo loco* OMNES SANCTI, *quos felici morte defunctos &c. ea, quæ sequuntur, repetenda sunt quotidie post Orationem, & invocationem Sanctorum pro quavis anni die assignandam: ut omnes sancti cujusque diei, omnes item sancti, & ejus, quo nati sumus, & ejus, quo morituri sumus, diei, & deniq; omnes omninò Cælites, pro felici nostrâ morte, orent quotidie; sed potissimùm die, ac horâ, & momento mortis nostræ. Eundem in finem subjungitur quotidie ad B. Virg.* Aspiratio *una, aut plures.*

S. Maria, *Dei Mater, hodie, à S. Saba,* prima *humani generis salutata; cujus mensem vocant hunc mensem Ungari, tua olim familia. Tibi, ô annorum meorum primus, dedico hunc annum, mensem, hebdomadas, dies, horas, momenta omnia vitæ meæ!*

S. Ma-

S. MARIA, *quæ hodiernum* S. Odilonem, *tunc parvulum, pedibus, ac manibus propè captum, & ad aram tuam reptantem, repentè in oculis omnium persanâsti, qui se tibi posteà in mancipium transcripsit. Sana me: fac, ne meus erga te amor sit captus manibus, & pedibus; sed ut sit auctuosus opere, & veritate!*

2. *Jan.* 4. *Nonas Jan.*

S. Macari, plene semper sanctarum lacrymarum senex; cui dixit S. Antonius: *Ecce Spiritus sanctus requievit super te; erisque deinceps hæres mearum virtutum.* Qui quicquid virtutis de aliquo audisti conatus es eximitari: qui post longam inediam, à bubula lactatus es: qui oraturus ajebas ad cor tuum; *Habes Angelos, Archangelos, Cherubim, & Seraphim, & Deum horum omnium effectorem. Illic versare: ne sub cælos descenderis; ne incideris in mundanas cogitationes.* Quem ut dæmon ab oratione abduceret, factus est flamma ignis, omnibus, quæ in cubiculo tuo erant, incensis. Qui vidisti SS. Eucharistiam, indignis porrectam, ab illis ad aram redire; ac ejus loco, illos, ab æthiopibus dæmonibus porrectos, carbones accipere. Qui dæmones æthiopes per templum volitare vidisti, & aliis, digitis in os oculosve imissis, somnum inducere; aliis, fœminas, vel negotiorum, instrumenta, objicere, ac orantes variè perturbare. Qui, toto septennio, cocti nihil in cibum admisisti; quadragesimam, sine cibo, viginti dies sine somno, duxisti, semper ad Deum vigil: qui sex integros menses, puritatis athleta, inter culices jacuisti; & post centum vitæ sanctè hìc

actæ,

actæ,annos, ad immortalem abiisti. Per lacrymas tuas,per jejunia, per puritatem,ac preces tuas omnes, rogo, ostende cordis mei oculis Seraphinos : fac spiritus amoris Dei requiescat super me ; doce me, animum nunquam è cœlo dimittere ; ut tandem,beatâ morte,animam meam è terris in cælum emittam ; ibi Deum, & cum Deo, Dei aulam omnem habiturus. Amen.

Hoc idem mihi impetrate.

S. Stephane Proto-Martyr.

S. Silane musice, & socii MM. spinis ferreis coronati,clavis & sudibus ferreis confossi,capite plexi;qui, acceptis in manus abscissis capitibus, super fluvium pede sicco incessistis; & capita, in templo Beatissimæ Virginis, ad orantis S. Frontonis pedes, deposuistis.

S. Maxime, cujus discipulus Ambrosius, viso dæmone, qui è summa quercu hamo pisces capiebat, & se te quoque capturum dicebat, respondit : *Magister meus maximus tepidus non est ; non habes potestatem adversùs illum.* Cujus patri dæmon, Angelum lucis mentitus, suasit, ut te extraheret de eremo;in quem canes à venatoribus incitati,mortui corruêre,qui contra patrem,tibi nuptias obtrudentem,Angeli, Religionem suadentis,consiliis adjutus, postea contra sicarios divinitùs defensus es. Quem qui lanceâ vulneravit, in pœnam sceleris, vermibus est consumptus. Cui,morti proximo,dixit Angelus: Maxime! Maxime! videbis S. Michaelem cras, cum choro Angelorum gaudentem, cum magno psallentium choro, ad te venientem ; ut te suscipiat leniter;opera enim tua semper lenia fue-

fuerunt. Fac, ne sim unquam tepidus: fac me mori morte ferventium, id est, verè amantium.

S. Adelrarde, regio genere posthabito, religiose hortulane, cui ægro Christus apparuit: qui mortem è cœlo tibi anteà præsignificatam, obiturus ita orâsti: *Domine pone me juxta te, & cujusvis manus pugnet contra me. Hinc ibo, & ad Deum meum veniam. Lætus veniam, lætusque transibo ingentes vitæ hujus foveas, quoniam ad gaudia perventurus sum sempiterna, longè mihi antè promissa.*

S. Sylvester qui ardentem furnum ingressus, eum illæsus perpurgâsti, & prunas ardentes in cumulum collegisti; qui Regis filium oratione sanasti, contra pestem ac dæmones potens medicus, ac protector, de quo in hymno suo canit Troinensis Ecclesia, quòd *totus à divinis inspirationibus pendens*, a Christo sis *magni, & coronati athletæ* nomine appellatus: & quòd *demulserit animam tuam divinus amor; & mentem tuam trajiciens, ornamentis adaptârit cælestibus.* Fac, ut divinus amor ita meam animam demulceat, ita trajiciat, ut totus à divinis inspirationibus obedienter pendeam, nunquam rebellis lumini, nec surdus ad vocem Dei.

Omnes sancti *Martyres*, qui corpora morti potiùs, quàm sacros libros tyranno, tradere voluistis.

Beati Isidori duo Episcopi.

Ss. Argæe, Narcisse, & Marcelline puer, MM.

S. Martiniane Ep. nomine charissimi Deo Episcopi appellate, fac me charum Deo: fac, ut amer, ut amem Deum.

S. Siridon Episcope.

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 40.

S. Maria, *ad cujus usque templum hodie sua capita, pro Christo amputata,* S. Silanus *musicus, & socii, detulêre. In sinu tuo depono caput meum : tu curam illius habe, ut Domina & Magistra. Servus tuus sum ego: impetra mihi intellectum, placentem tibi!*

S. Maria, *quæ* Alardo *tuo, hoc die morienti, cum tuo Filio, & Sanctis, adfuisti, & illius animam suscepisti: suscipe & meam; ne periclitetur!*

3. Jan. 3. Nonas Jan.

S. Genovefa V, quæ matri, ob alapam, eò quòd templa frequentares, tibi inflictam, excæcatæ, divinitùs oculos, puero vitam, reddidisti; & à Stylita sancto sæpè laudata es; paralysi afflicta, cælestem gloriam, Angelo monstrante, vidisti; hominem, famulo suo ignoscere nolentem, ideoq; morbo correptum, & jam ignoscentem persanâsti: quæ bis tantum in hebdomada, cibi aliquid, nihil vini unquam admisisti: hostes ab Urbe Parisiensi precibus avertisti: extinctum cereum sine igne, sæpiùs accendisti, cereo tuo contra morbos utiliter sæpè adhibito; ipsis quoq; tuarum vestium fimbriis, contra morbos dæmonesque, mirè potentibus, cui Parisienses portæ ultrò apertæ, patuerunt. ora pro me; ut illuminet cæcitatis meæ tenebras JESUS: ut ex his tenebris ad æternum gloriæ lumen transeam; atque ibi eò magis amem te, quò hic magis te amavi. Amen.

S. Joannes quem diligebat, & cui MARIAM in Matrem dedit Crucifixus Jesus,

S. Petre,

S. Petre, qui inter tormenta canens: *Unum petii à Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ,* crucifixus es.

Ss. Cyrine, Prime, & Theogenes, MM, quos invisens Christus, suavissimis è cœlo concentibus, & cælesti luce, firmavit ad mortem.

S. Gordi Centurio.

S. Anteri Papa.

S. Zosime, Athanasi. Theona, MM.

S. Bertilia Virgo conjux, quæ moriens Beatissimæ Virgini hæreditatem regiam legâsti.

S. Florenti Ep.

S. Daniel Levita, M. inter ferream, & ligneam tabulam, clavis confixe: cujus corpus ubi lateret, cæcus ostendit, & lumen recepit.

S. Theopempte Ep. M, qui è fornace ardente innoxius exiisti; cùm mistum tibi, à Theona mago, venenum innoxius bibisses, illum ad Christum eo miraculo adduxisti, unà cum illo victor, & Martyr.

S. Theogenes, qui in carcere fame necandus, quatuor clavis confixus, à Christo visitatus es, dicente: *Ego tecum sum, est incorruptibilis tibi vita in cælis.* Cui in carcere psallenti Angeli, velut cælestis populus, respondere sunt auditi, visique, dicentes: *Gloria omnipotenti Deo!* quibus etiam tecum colloquentibus, cùm in splendore orares, mari es mersus.

S. Melior, seu Melore, puer Martyr, qui pedis ac manus tuæ, à patruo amputatæ, loco, æneo pede, ac manu argenteâ, æquè ac propria, es usus: qui precibus fontem è terra licuisti; cujus occisi corpusculo

culo Angeli adstitêre, lucernis quoque cælitus istic accensis. Cujus resectum caput intersectori sitienti dixit, ut baculum humi defigeret; undè erumpente fonte, ille sitim suam levavit. Cujus interfector, cùm terram sibi, à patruo tuo, in præmium sceleris datam circumspiceret, lumine utroque orbatus, morte subità, carne, ceræ instar, colliquescente, interiit. Qui post mortem æditu in templo apparuisti, eumque à somno excitatum, ne templi ruinâ involveretur, exire jussisti. Doce me orare, doce amare amicos, & inimicos; ut sic in amore Dei proficiam.

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 40.

S. MARIA, *cui addictissima* S, Genovefa V. *omnes tibi dedicati sabbati noctes vigil egit. Doce me vigilare, & orare. ita ut seriò monuit tuus* JESUS!

S. MARIA, *quæ* Hostrado *tuo Abbati in triclinio mensæ accumbenti, Filium tuum contemplandum exhibuisti; cui cùm* Hostradus *cibum porrigeret, ab illo ad cælestes epulas, post tres dies adeundas, invitatus, hoc die ad illas abivit felix. Doce me modum ea faciendi, quæ Filio tuo placent, fac, ne ad æternam famem abjiciar à facie Dei!*

4. *Jan. Pridie Nonas Jan.*

S. Tite, S. Pauli Apostoli Virgo discipule, cujus morientis facies gloriosa, cælesti perfusa lumine, radiabat, cujus pretiosum, longis laboribus, spiritum beatissimi spiritus cælo visi sunt invehere. Roga JESUM, ut illuminet faciem suam super me; ne unquam obdormiam in morte; ne tene-

tenebræ conculcent me; ne hora mortis meæ potestas tenebrarum; ut cum Angelis lucis videam faciem Dei, Amen.

Omnes ſancti Innocentes, & quotquot in cælo eſtis, qui Deum nullo unquam lethali peccato offendiſtis.

S. Gregori Ep. cui, noctu templum ingredienti, portæ ultrò apertæ ſunt; & Sancti iſtic, tecum, per plures horas, pſallere ſunt auditi. In cujus obitu cæli aperti ſunt viſi: quem implorantes vincti ſoluti ſunt; & puella, Dominico die, ſe vanè comens, adhæreſcente manibus pectine, doloribus afflicta, tuis meritis eſt liberata.

S. Rigoberte Ep. quem ſede pellens, & Eccleſiæ bona laicis dans, Carolus Mattellus, viſus deinde dicitur in inferno, cum corpore animâque, torqueri; & ex aperto ejus ſepulchro atque exuſto, draco exire. Cujus ſepulchrum luce cæleſti affusâ, canticibus Angelorum, & miraculis eſt honoratum.

S. Rogeri, cujus veſtibus & libro, aquæ, ut nihil madefierent, pepercerunt; qui annulum, in fœminæ digito, increſcente carne jam coopertũ, tuis precibus exemiſti, doloremque ſedâſti; aquam in vinum convertiſti, cibum ſociis divinitùs impetraſti. Ad cujus tumulum ægri ac tentati opem reperiêre.

Sancti Priſce, Priſcilliane, & Benedicta, gladio Martyres.

S. Dafroſa, S. Flaviani Martyris Martyr conjux; ab eodem, per quietem ad beatam vitam invitata.

S. Pharaildis, princeps Virgo conjux, totis XXX. annis, ſingulis noctibus, in preces effuſa.

Sancti LXXII. Diſcipuli Domini.

Ss. Hermes, Aggæe, & Cai, Martyres,

S. Mavile M. damnate ad bestias.

Ss. Aquiline, Gemine, Eugeni. *Marciane*, Quincte, Theodore, & Tryphon, MM.

B. Angela Vidua, tentationibus horrendis exercita à Sss. Trinitate, à Christo, à B. Virgine radio mirabili, benedictione, colloquiis, pulcherrimàq; caligine recreata; cujus facies cælesti luce resplenduit; juxta quam stella conspecta est; cui Crucifixum roganti, *quid ei esset gratissimum?* ille tibi sæpius visus, dixit, *ut respiceres in Vulnera Crucifixi*, quam visus quidam divinæ pulchritudinis radius, ac te respicientis Dei oculi, mirabiliter recrearunt, cui, ad S. Eucharistiam accedere timenti, dixit Christus: *Communica in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti; & ego, qui sum dignus, facio te dignam*; quæ ostensum tibi amorem Dei, tibi factum esse falcis instar, nec te finem illius videre posse, ajebas: quæ à MARIA JESUM parvulum accepisti, amabilem MARIÆ modestiam, JESU autem oculos, igne amoris ac lætitiæ, splendido, admirata; dicente postea tibi JESU: *Ego veni ad te, & obtuli me tibi, ut te offeras mihi*, aliàs verò cum te infirmam viseret: *Ego*, ajebat, *veni ad serviendum tibi*, quæ illis, pro quibus orabas, vidisti Deiparam benedicentem iisque dantem oscula & amplexus; ita ut illos contra pectus absorbere atque includere videretur. Quam, scrupulis vexatam, Deus dixit, sibi ac sanctis omnibus, charam esse: teque communicare jussit in honorem Dei, Dei Matris, & S. Antonii, cujus festum tunc agebatur; cui morienti gloriosam vestem ostendens Christus, teque am-

plexus; dixit: *Veni, dilecta, veni quia omnes Sancti exspectant te cum lætitia! Veniam pro te, assumam te ad me.* Fac, ut spiritus amoris, aureâ suâ falce, omnia divini amoris impedimenta rescindat à me.

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 40.

S. MARIA, *hodie à Græcis*, divinum palatium Regis, & miraculum super omnes miraculorum fines elevatum, *dicta*: *quæ* B. Angelæ, *ne à dæmone posset decipi, impetrâsti. & illam monuisti*, ut Deum amaret, quantumcunque posset. *Doce me non decipi, doce me amare!*

S. MARIA, *quæ hodie morientem* Sergium, *ei spectabilis visitasti. Dignare & me, in extremo articulo, tuâ ope, ut visitatio tua custodiat spiritum meum, hinc migrantem!*

5. Januar. Nonis Januarii

S. Eduarde Rex Virgo conjux, à S. Petro in Regem Angliæ uncte, cujus regiis humeris templo mendicus æger, ut sanaretur illatus est, & valuit; cujus manuum aquâ, loti cæci, tenebras eluerunt; cui sub Sacro, ab arâ benedixit JESUS; qui fœminæ faciem, sanie vermibusque tumentem, Cruce sanâsti; qui nulli, à te aliquid, in S. Joannis nomine, petenti, quicquam negâsti, eidemque, in specie pauperis, eleemosynam à te, per nomen S. Joannis flagitanti, annulum è digito dedisti, quem deinde à peregrinis ad te missis à S. Joanne, gratias tibi agente, ac mortis tuæ tempus tibi nuntiante, recepisti, & auxiliares totius regni preces, pro felici morte, expetiisti: sed jam aliorum ope non eges; egeo ego

tuâ,

tuâ. Ora ergò, ut mihi, & in morte, & in judicio supremo, benedicat Jesus, & ego una tecum, æternum benedicam Jesum, Amen.

S. Thelesphore Papa Martyr.

Omnes SS. Ægyptii Martyres, inter agendum gratias, & tormenta, læti ad mortem.

S. Domnio Mart.

S. Syncletica Virgo.

S. Æmiliana V. quæ, vocante Tharsillâ sorore, hodie ad felicem æternitatem abiisti.

S. Phosteri Abba, cui Angelus unum, vel, si hospites haberes, tot panes quot habebas hospites, afferebat.

S. Appollinaris Virgo, mundi, carnis, dæmonum, admirabilis triumphatrix,

S. Gerlace, quem morientem, cum alius non adesset, S. Servatius, è cælo patronus, stolâ candidatus, Sacramentis Catholicis munivit: cui ob asperrimam pœnitentiam actam coram Deo, & cælesti curiâ, paratum in cœlo solium S. Hildegardis vidit.

S. Simeon stylites, qui non nisi Dominico cibum capiebas, semper cinctus fune cilicino, carnem ad ossa usque depasto: è cujus super columnam, per duos ac viginti annos, inter jejunia, imbres, preces, & miracula, stantis, pede putrido cadens, & à Saracenorum Rege sublatus vermis, versus est in nobilem unionem. Cui cum Cherubico curru apparens personatus dæmon, dixit: Conscende currum hunc; accipe coronam tuam; & jam pede sublato currum diaboli parabas conscendere; cùm agnito angelo tenebrarum, pedem retraxisti, & non nisi pede altero in columnâ stetisti: qui quadraginta

 dies,

dies, absque cibo & potu, jejunasti, qui Antonio, tuo discipulo, post mortem splendidus, opem tuam pollicitus es; cujus memoriæ erectum templum stella pulcherima, repentè apparens, exornavit. Doce me odisse carnem meam, Dei mei amore: ita illam curru Seraphico vehes in cœlum.

OMNES SANCTI. &c. *pag.* 40.

S. MARIA. *quæ Sacerdoti linguæ, ab hæreitcis ademptæ loco, hodie novam linguam in os inseruisti. Da mihi cor novum: da mihi novam linguam, & sanctam. Doce me tacere, & loqui!*

S. MARIA, *quæ hodiernæ tuæ.* Paulæ, *cum* JESU *parvulo apparuisti; cumque illa ab ore* JESU *rorem lacteum delibâsset, ipse de religiosâ vitâ ineundâ consilium dedisti. Impetra mihi cor obediens consiliis divinis!*

S.MARIA, à Mari *dicta, hoc die supplicatione solemni celebrata, cæcis ad lumen, mortuis ad vitam revocatis, admirabilis: cujus templum Firmanus Episcopus, Religiosi, & ipsa tua illa Vrbs anno 1631. vidit mirabili splendore circumfusum; conspecta istic sæpiùs (maximè sabbatinis tuis diebus) mira candidatorum, templum tuum cum facibus circumeuntium, supplicatione; flammis aliis templo imminere, áliis erumpere indè visis. Sis mihi mare gratiarum, & anchora firma cordis. Circumda me, ac penetra undique, & undique, cælestibus tuis flammis; ut sic à te bene ardeam, ne à me malè ardeam in æternum!*

6. Januar. 8. Idus Ianuar.

JESU, Rex meus, & Deus meus, hoc Theophaniæ tuæ die, à sapientibus tribus Regibus adorate,

à Ioanne baptizate, à Patre laudate; cum Matre ad nuptias invitate, ac ibi, ejus rogatu, aquâ in *bonum* vinum versa, primo miraculo gloriose. Qui hoc die à s. Mechtilde rogatus, quid muneris tibi velles offerri? jussisti, offerri tibi cor, in *igne amoris* purgandum, velut phialam delectantem. *Apertis thesauris* suis Reges obtulerunt tibi munera. Aperi tibi *thesaurum* meum *optimum*, cor meum, tu habes clavem, claude illud aliis, tibi pateat soli. Oro te super tenebras cordis mei, ô gloria Domini, ô Iesu, gloria patris & matris. Expergefac illud, dic animæ meæ; *Surge illuminare, Jerusalem; quia venit lumen tuum.* Doce me artes id faciendi, quod, in lumine tuo, tibi acceptissimum esse perspexero, ut delectam te; ut deliciæ tuæ sint esse mecum, & meæ tecum, tunc videbis, & afflues, & dilatabitur cor tuum. Tu olim *aperuisti thesaurum tuum optimum, cælum*; sed nunquam ita, sicut cùm in hoc Epiphaniæ die, in substantia nostræ mortalitatis, apparuisti, & nova nos immortalitatis tuæ luce reparasti. Da mihi, ut cum Abele, cum his Regibus, optima optimè dem tibi optimo Deo meo. Accipe, si quid boni habeo; ut illud amore tuo perficias, imò accipe etiam, quicquid habui, vel habeo, mali; ut illud amore tuo exuras, & è pessimo facias optimum: ut *ubi abundavit delictum, superabundet gratia.* Ita hodie aquam in vinum optimum convertisti. Doleo me bibisse sicut aquam, iniquitatem: sed tu verte illam in amoris lachrymas, in vinum optimum lætantium Angelorum: Amor tuus, præparet pœnitentiæ meæ myrrham primam in munus gratum tibi, ille me faciat thus tuum, dolore

contritum, quod in odorem suavitatis ascendat ad te, ex igne amoris tui, etiam dum uror adversis. Ille me faciat aurum tuum, aurum ignitum: ut omnia opera mea sint è puro amoris tui metallo; & oratio mea, tibi Regi opera mea dedicans, ascendat, ut virgula, *ex aromatibus myrrhæ & thuris*, O JESU, *stella splendida & matutina*, in MARIÆ sinu, tanquam in firmamento, splendens, fac, ut cum his Regibus, *in splendore ortûs tui*, ambulet cor meum; ac singulæ cogitationes, ac actiones meæ, sicut stellæ manentes in ordine suo, sint discipulæ tuæ. O qui *operis cœlum, & facis nigrescere stellas ejus!* cadant omnes illæ stellæ, falsæ exhalationes, quæ olim nigrescent, quæ me à te abducunt per respectus humanos, & impedimenta tui amoris. Taceant mihi linguæ aliæ, linguæ inferni: loquatur mihi, ut his Regibus, stella tua, *lingua cœli*; sed perfice mihi aures, adapta corpus, ut sim totus auris, ad obedienter audiendum te; usque dum videam te supra stellas, & solem, ac omnia, Deus meus & omnia!

Vos verò, sancti tres sapientes Reges, *Melchior, Caspar, Balthasar*, qui stellâ semel iterumque conspectâ *gavisi* estis gaudio magno valdè, impetrate cordi meo dulcem illam lucem, inspirationes repetitas, igneas, & efficaces; quibus obediam non cum amaritudine, sed *gaudio magno valdè*. Angelo tubà canente, & Joanne id vidente postea in Apocalypsi, *cecidit de cœlo stella magna & ardens; & nomen stellæ dicitur absynthium*. Impetrate cordi meo stellam benignam. Canat Seraphinus quisquam cordi meo tubâ amoris Dei; & me accendat eum dulcedine

spiri-

ſpiritûs, ad voluntariè ſacrificandum vobiſcum illi, quo naſcente *melliflui facti ſunt cœli.* Facite, ut veſtram ſtellam ſuſpiciam, & ſequar; non magnas iſtas, & igne fatuo, ac inſidioſo ſplendore ardentes ſtellas reſpectuum, aut finium humanorum. Vos ſtellæ & Angeli non Hærodis, ductum ſecuti eſtis, etiam rege audito. Docete me cæleſtibus poſthabere hæc oracula reſpectuum humanorum. Ducite me vobiſcum. Dicite vagis cogitationibus meis: Venite, adoremus, & procidamus ante Deum! Illa tunc proſtrata veſtra corpora, in æternitate, gloria & honore coronabit Deus, & hactenus miraculis coronavit, quando cum circulo aureo, quo circumdabantur, inventa, è Perſia Conſtantinopolim, Mediolanum, Coloniam, non ſinè prodigio, translata ſunt. Sancti Reges, quorum imploratum auxilium, hominem vobis addictum ab infami morte mirabiliter liberavit: quorum nominibus imploratis, complures paroxyſmo epileptico laborantes, fugato planè morbo, repentè ſunt reſtituti. Liberare me à morbis quoque illis, quibus obnoxium me fortè ignoro; liberate à morte, cujus ignominia eſt æterna; ut in cælo inveniam, & unà vobiſcum, amem JESUM, cum MARIA Matre ejus, cum *gaudio magno valdè.* Id ut fiat, impetrate mihi, ut hic eum amem amore *magno valdè.* Amen.

S. Andrea Corſine, religioſe Epiſcope, jam indè ab utero, à matre, MARIÆ *Matri* devote, & in templo è lupo in ovem mutari viſe: cui MARIA ad aras: *Meam*, inquit, *ſervies ſervitutem ad hoc à me delectus*, qui ubi mortem ſanctè obiiſti, viſus es per ſcalas cæleſtes cælum inſcendere. Ora, ut me in

ovem electam mutet JESUS; ut JESU & MARIÆ semper serviam, ad hoc ab illis electus, & sanctâ electorum vitâ, & morte vivam, ac moriar.

S. Macra V. in carcere cælitùs visitata, & persanata; quæ in flammis illæsa, & supra testas acutissimas, ac prunas volutata, orans migrâsti, cùm diceres; ignem tibi à Christo, roris instar, redditum esse suavissimum.

Omnes sancti Martyres Africani, ad palum igne consumpti.

S. Melani Episc. qui mortuum energumenum, à morte & dæmone, captivos è turri, liberasti; panem, ob cujusdam inobedientiam, in serpentem conversum, in panem iterùm convertisti; ad cujus exequias sancti aliquot Episcopi sunt per Angelos invitati.

S. Nilammon, qui, dum ad Episcopatum traheretis invitus, Deo in oratione spiritum reddidist.

S. Erminolde Abba, cui, ante mortem, & æli gloria, & liber vitæ, tuum, ac Fratrum tuorum nomina, charactere aureo inscripta, continens, ostensus est, & ipse postea in gloria es conspectus à sene moriente; quo in spectaculo ille animam exhalavit: alius verò, pro Christi tribunali, à te defensus est, defende & me in agone jacentem, fac ut nomen meum quotidie libro vitæ, frequentibus purissimi erga Deum amoris actibus, velut aureo charactere, inscribam.

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 40.

S. MARIA, *quæ hodierno tuo* S. Andreæ Corsino, *natali*

natali Christi nocte dixisti; hodiernum diem illi fore ultimum in hac vita. Effice, ut ita vivam, uti vivevem, à te monitus de morte brevi obeundâ!

S. MARIA, *quæ hoc die Sanctæ tuæ* Franciscæ, *visis tribus Regibus,* JESUM *parvulum adorantibus accensa, dixisti*; Fac, ut intelligas amorem Dei. *Fac Domina, fac ut intelligam, ut amem, ut quæram, ut inveniam, amorem Dei!*

7. *Januarii.* 7. *Idus Januar.*

S. Raimunde, quadraginta mortuis ad vitam reductis, condito B. Virginis de Mercede Ordine, inclyte! in cujus, mysteria celebrantis, manu, Eucharistiam elevante, parvulus IESUS cuidam, ad sordes tentato,(at semper invito) apparuit; & illum à turpissimis anxiæ mentis imaginibus liberavit. O mi Sancte, in MARIANA festa, & auro, & corde sancto, liberalis; Angelo excitatore use ad preces, ut surgeres; pallio, ut per mare navigares. Jam es in portu æternitatis. Ora pro me, potentissime apud IESUM & MARIAM, Orator; ut ita IESU & MARIÆ amori liberaliter impendam cor meum, & omnes vires meas; ita *Angelo*, me ad sancta excitanti, paream, ut me suprema *Angeli* tuba à somno mortis excitet ad æternùm amandum, & laudandum Deum meum. Amen.

S. Ioannes Bapt. cujus synaxis festum hodie apud Græcos, & Reliquiarum, draconem interimentium, memoria celebratur.

S. Wittekinde Dux, qui in Eucharistia IEsum splendidum, quorundam ora invitum, quorundam

dam verò lætum, in Communione ſubire vidiſti.

S. Clete Diacone, pro Chriſto ſepties torte, tandem decollate.

Sancti Felix, & Januari, MM.

S. Canute Rex, & M. ad aras occiſe.

S. Criſpine Epiſcope.

S. Juliane Martyr.

S. Niceta Ep. barbarorum, & ferarum domitor.

S. Theodore Monache.

S. Valentine Ep. qui mortis tuæ tempora divinitùs prævidiſti.

B. Alberte Eremita, cui, ad S. Jacobum peregrino, ſæpè columba, humeris inſidens viſa, tibi eſt aliquid in aures ſuggerere; qui aquam in vinum vertiſti, obſcœnum dæmonem ſuperâſti.

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 40.

S. MARIA, *quæ hodierno Sancto tuo* Raymundo *apparens, ei de Ordine, pro redimendis captivis, instituendo, conſilium ſuggeſſiſti. Libera me à captivitate omni? ut ope tuâ, æterno carcere liber, ſim in libertate filiorum Dei!*

8. *Januar.* 6. *Idus Januar.*

B. Laurenti Juſtiniane, divini amoris aſceta ſuaviſſime? cui divina Sapientia cæleſte oſculum dedit: qui amicum, per mediam armatorum, & citharœdorum aciem, ad religioſum aſylum, tecum pertraxiſti: cujus precibus, Venetiæ ſteterunt, aliàs perituræ: qui moriturus, in lecto molli jacere recuſaſti; eò quòd JESUS expirâſſet in Cruce. Ajebas

tu, te coram tribunali Judicis Christi nescire, quid aliud agere debeas, utpote meritis vacuus, nisi ut Christi Crucem complectaris; qui denique post mortem, ab Angelis musicis honoratus es; ora pro me, verè vacuo meritis: ut vacuitatem meam, in die mortis, & judicii impleant infinita merita Crucifixi Judicis mei Dei JESU. Amen.

S. Patiens Ep. S. Joannis Apostoli chare discipule, qui tibi abeunti unum è suis dentibus donavit; & qui hospes in Gallia, statim vernaculo idiomate loqui auditus es,

S. Carteri Presb. M. divinâ voce: *Ego tecum ero*, è latebris educte; excisis novaculâ, pedum ac manuum unguibus, talis ferro trajectis, succensâ sartagine, liquato plumbo, ignitâ galeâ cruciate, à Christo, & Angelis recreate; qui è perfosso latere aquam, tùm sanguinem, denique animam, edidisti.

S. Wulsine Episc, qui moriens cecinisti: *Ecce video cælos apertos; & JESUM stantem à dexteris Dei.*

S. Maximiane & Juliane, gladio perempti.

S. Eugeniane M.

S. Theophile, & Helladi laniati, testulis cruciati, igne combusti.

Ss. Apollinaris, & Maxime, Episcopi.

S. Severine, Noricorum Apostole, qui Viennam Austriæ, contra famem, & hostem, juvisti: qui, prædicto mortis tempore, dato ante mortem Fratribus osculo, cum caneretur: *Laudate Dominum in Sanctis ejus*; ad illa verba: *Omnis spiritus laudet Dominum!* spiritum, ad laudandum æternum Dominum, exhalâsti.

S. Gudila Virgo, quæ lucernam extinctam à dæmone, precibus accendisti.

S. Erharde Ep. qui S. Otiliæ V. cæcæ natæ, cum illam baptizares, lumen à Deo impetrasti.

S. Mauronti, cujus morientis anima, ab *Angelis*, in cælum ferri est visa.

S. Luciane *M*, super quem, capite truncatum, sabbato, vox in luce audita, dicebat: *Euge, bone famule Luciane; veni, & suscipe coronam, olim tibi promissam: quia cum Sanctis gratulaberis in cœlo. Veni, & percipe mansionem gloriæ, olim tibi paratam, cum Angelis*, qui præcisum tuum caput, ad tria milliaria, ductu *Angelico*, etiam per fluvium, tuis ipse manibus, ad sepulturæ locum deportasti; cujus cadaver cælesti odore fragravit, & visis admirandis, quæ patrabas, quingenti Christo adjuncti sunt; cum in vita, triginta hominum millia convertisses.

S. Severine, Septempedanorum Episcope, Victorini, germani tui, per dæmonem, fœmineas illecebras mentitum, lapsi magister ad pœnitentiam: ad cujus mortui festum S. Petrus, Paulus, Stephanus, Laurentius, ac Sancti plures, ire sunt visi, quo orante, tres superbi Religiosi à dæmone sunt correpti. Doce me vincere quicquid malè blanditur.

S. Frodoberte, qui audisti *Angelos* canentes gloriam Sss. Trinitati: in cujus mortui osse auri grana reperta sunt; impetra cordi meo aurum ignitum amoris Dei.

OMNES SANCTI. &c. *pag.* 40.

S. *MARIA* à principio, *quæ hodie Neapoli celebraris. O Mater illius Dei* Jesu, *qui se esse dixit* Principium, qui & loquor vobis. *Doce me scire, & sequi solida axiomata, & principia sancta æternitatis, usque ad finem sanctum!*

9. *Januar.* 5. *Kal. Januar.*

SS. Juliane M. & Basilissa, conjuges Virgines, quorum nuptiis Jesus, cum candidatis; Maria, cum suarum Virginum choro, adfuit: ille, cum suis, *Vicisti Juliane, Vicisti!* canentes; ista cum suis accinens; *Beata es. Basilissa, quæ consensisti salutaribus monitis. & falsa mundi blandimenta, ac terrenas delicias spernens, ad æternam gloriam te præparâsti!* quorum virgineum matrimonium Deus cælestibus recentium florum odoribus decoravit: qui coronis coronat, phialis aureis honorati, in cæli catalogo lecti estis, millibus millium Cælitum, *Amen,* clamantibus. Orate pro me, ut vincam, & sic ad æternam gloriam me præparem. Vidisti Juliane, tuum, & Sponsæ nomen, inscriptum aureo libro vitæ; & caput posuisti pro Jesu felix. Inscribar, ô, ego libro illi; & ne ullo me unquam peccato deleam! *Amen.*

Ss. Antoni, & Anastasi, quem s. Julianus, à morte suscitatum, gratiæ Christi participem fecit.

Ss. Celse, Marcionilla, & septem fratres, aliique, cum Iuliano, Martyres.

Ss. Vitalis, Revocate, & Fortunate, MM.

Ss. Epictete, Jucunde, Secunde, Vitalis, Felix, & alij septem MM.

s. Petre Ep. frater s. Basilii Ep.

s. Marcelline Episc. qui Anconam ab incendio liberasti: cujus gesta narrans civis, filium, ab irato dæmone igni injectum, illæsum recepit: cujus libro extinctum est incendium, & ægri persanati.

S. Waninge, cui S. Eulalia B. M. apparuit, & dixit: Waninge *facilius est camelum per foramen acûs transire, quàm divitem in regnum cœlorum intrare*, & ab illa laudatus ac monitus es, ut religiosam domum construeres in nomine Sss. Trinitatis. Qui cum mortuus credideris, inter exequias surrexisti, & visas à te horrendas damnatorum pœnas ac præmia electorum, teque viginti annis supervicturum, idque tibi à Sanctâ tuâ Eulaliâ impetratum, dixisti, cùm pro tremendo Dei tribunali prostratus, tremensque jaceres. Juva me, ut pro illo tribunali paratus inveniar.

S. Adriane, qui post mortem S. Dunstano Ep. nuntiâsti, ut templum B. Virginis restauraret; atque ab eodem visus es in templo, inter choros Cælitum, cum Dei Matre, Dominum collaudare; qui devoto tibi clienti, ad Christi tribunal propitius adfuisti. Doce me orare: doce colere *Matrem* Dei.

S. Paschasia V. M. per ignem martyrio coronata, quæ post mortem, iis, qui in ædificando S. Benigni, Magistri olim tui, templo laborabant, hortatrix apparuisti, ac dixisti: *Eja dilectissimi, perficite opus bonum!* adjecistique: S. Benignum illis inter operas adesse præsentem.

S. Marciana V. M. quæ Dianæ statuam confregisti: cujus pudorem, muro divinitùs interjecto, defendit Deus: tùm à leone illæsa, à tauro saucia, à leopardo occisa es. Tuere me contra id, quod displicere Deo potest in me.

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 40.

S. Maria, *quæ* S. Basilissæ, *Virgini*, & Juliano *sponso illius, unà cum tuo* Jesu, & *choris Cælitum*,

con-

conspecta, victoriam es gratulata. Redde me dignum, cui per te, victori, victoriam gratuleris, & ut agam tibi gratias in æternum!

10. *Januar.* 4. *Idus Januar.*

S. Marciane, qui ob unam, quà induebaris, vestem egeno datam, veste aureâ è cælo, cùm sacram synaxim populo distribueres, donatus es; qui templi grande incendium stitisti; mortuorum aliquos, quos sepeliebas, vitæ reddidisti; templum ædificâsti; & moriens, Christum ita allocutus es: *Hæc ambo in manus tuas commendo, Domine, nempe animam, quam ipse creasti, & templum, quod ego tua voluntate, construxi.* Ora pro me, ut & ego me morti meæ, per corporalem, & spiritualem eleemosynam, ita parem, ut, cùm anima corpus hoc, velut vestem, exuerit, aureâ, & nuptiali æternitatis veste induatur. Amen.

S. Agatho, Papa Thaumaturge, à quo nemo unquam tristis discessit; qui leprosum osculo persanâsti: qui mortuis parentibus, congestas facultates tuas omnes, unico die dispersisti, dedisti pauperibus! cujus authoritate damnatus Macarius Antiochenus, quo die expulsus est, tot ac tam nigræ aranearum telæ, spectante populo, cecidêre, ut omnes divinitùs id actum agnoverint. §Anni nostri sicut aranea meditabuntur, doce meos annos solidè meditari, doce illos auream æternitatem in mente habere, doce omnia ista, quæ mundus magni facit, velut nigras aranearum telas, horrere. Cadant, cadant omnia divini amoris impedimenta; expellatur è corde meo

meo, quicquid non placet Deo meo.

S. Nicanor Diacone.

S. Joannes Bone Archiep. qui Arianæ hæresis incendium extinxisti; Aquam flumen ficco pede calcasti.

S. Thecla Virgo, S. Isidoræ filia, quam, de Ecclesia liberaliter meritam, sancti fratres, uno ante mortem mense, de obitu monuerunt.

S. Paule prime Eremita, à corbo paste; annona, cùm S. Antonium haberes hospitem, duplicata.

S. Guilielme Archiepiscope, in cilicio, in quo semper vixeras, mortue, & post mortem vultu Angelico, globo igneo, & miraculis pluribus gloriose.

B. Gondisalve, B. Virgine consultrice, religiosum Ordinem ingresse, & ab eadem, tibi cum S. Angelis in morte spectabili, spe dulcissima hilarate.

B. Oringa V. à sancto Michaele tibi conspecto visitata, contra dæmonem defensa, consiliis adjuta, refecta, variè recreata, quæ, post superatam proci tentationem, in cælum abrepta, illic IESUM, MARIAM, ac Cælestes omnes, inenarrabili lætitia triumphantes, ac immaculatæ MARIÆ festum celebrantes vidisti, cujus pudicitiæ idem Angelus fuit custos, qui olim S. Cæciliæ, quæ, sedentis coram te, Dei Matris genibus advoluta, cùm oblatum tibi ab illa librum diceres legere te nescire, posteà illa magistra, & tu, & tuæ Virgines omnes, legere & cantare didicistis. Quæ mortua visa es in veste candida, in cælum ab Angelis deportari; corpore, fixum impudice obtutum, post mortem etiam, aversato, ideoque faciem contegente.

OM-

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 40.

S. MARIA, *qua* B. Oringæ *hodierna legendi scientiam impetrâsti; ab illâ Christo assidere in throno, ac à Sanctis omnibus honorari conspecta: impetra mihi, ut ita te conar honorare in terris, sicut honoraris in cælis!*

11. *Januar.* 3. *Idus Januar.*

S. Theodosi, qui paucis panibus, centum, & amplius, mensas pavisti; frumento, è grano uno multiplicato, magnum granarium implevisti: cujus vestis cilicina, pro lorica & thorace fuit Duci militum, ut vinceret: qui Basilio tuo, id volenti, mortem suavissimam impetrasti, & ipse, toto ante mortem triduo, de cælesti patria prævisam mortem tuam sanctè disserens, ad illum abiisti; impetra mihi mortem sanctam; impetra, ut ita nunc meum corpus, & animam ad illum transitum disponam, ut omnia, quæ corpore, vel animo ago, sint mihi solatio morienti. Amen.

s. Hygine Papa Martyr.

s. Salvi Ep. qui è cælo, ad hanc vitam remissus, à Deo audisti: *Vade, ego sum custos tuus, donec huc reducam te*; & in feretro narrasti, te in cæli gaudiis vidisse gloriam Dei; ubi est gloria, lux, odor, pax, animi suavitas; qui in S. Honorati Episc. morientis obsequio vidisti choros Sanctorum, & Angelorum canentium, illumque ad cælum ducentium.

s. Egwine Ep. qui pedes tuos ferreis vinculis adstringens, clavem compedum, in Anglia, in fluvium abjectam, Romæ verò in Tiberino pisce inventam,

rece-

recepiſti; cilicio ſemper indutus, ad cujus tumulum plerumque, quolibet die ſabbathi, æger aliquis ſanabatur: ad cujus altare Cælites matutinas preces, & Miſſam, cantare ſunt auditi: ac tu quoque in Deiparæ templo, ab illa ad altare deductus es.

Sancti Petre, Severe, & Luci, MM.

S. Alexander Ep. M.

S. Salvi cum famulo *Martyr*; quorum ſacra cadavera cœleſtes duæ lampades prodidêre.

s. Leuci Ep. qui, tui antiqui nominis loco, nomen Leucii divinitùs accepiſti. Cui è cælo dictum: *Leuci, Leuci! ecce nomen tuum in libro vitæ adſcriptum eſt, & memoriale tuum non delebitur in libro viventium.*

s. Palemon Abba.

s. Anaſtaſi, qui cæleſti voce: *Anaſtaſi, veni!* evocatus ad cælum, cum octo aliis nominatim itidem evocatis, abiiſti; & nono, idem optanti, mortem beatam impetràſti.

s. Maxime Epiſcope.

s. Honorata Virgo.

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 40.

S. MARIA, *quæ Sancto hodierno tuo* Egwino, *ſacris operanti, adeſſe, & aliàs etiam illi benedicere conſpecta es. Benedic mihi, Mater, benedictione perpetua, ut ſim benedictus!*

12. Januar, Pridie Idus Jan.

S. Arcadi Magne M. qui lentè, per ſingulas ſingulorum totius corporis membrorum juncturas diſſectas inciſus, ventre laniatus gratias Deo

agens,

agens, & cælum suspiciens, ajebas: *Manus tuæ, Domine, fecerunt me, & plasmaverunt me: da mihi intellectum!* qui inter jacentia, circa te sparsa, corporis tui membra medius; *O vos,* ajebas, *membra felicia, nunquam vos sic amavi in corpore, ut nunc vos videns avulsa. Sic nos decuit ad tempus sejungi, ut tandem nostro Regi occurramus in gloria, & pro mortalibus membris, vos eadem mihi restituamini immortalia.* Ad spectatores verò dicebas: *Parum est hoc, ô viri: hæc facilè est tolerare, qui novit de futura immortalitate cogitare.* Ora, ut ita Deus meus doceat manus meas ad prælium, ita dirigat gressus meos in viam æternitatis, ut nec manus mea, nec pes meus, scandalizet me; sed sacrum sit Deo meo totum corpus meum, tota anima mea; ut in æternitate sanctâ sit cum Deo meo & corpus meum, & anima mea. Amen.

S. Maxime, à S. Petro Apostolo Lauromensis date Episcope.

S. Tatiana M. quæ per uncos, pectines, bestias, ignes, illæsa, gladio percussa es, postquam cælesti voce animata, admirabile martyrium, rivulis lacteis per vulnera, sanguinis loco, scaturientibus, pulcherrimè absolvisti.

S. Eulelia Virgo & Martyr.

S. Cæsaria Virgo.

S. Satyre M. qui idolum flatu, & signo Crucis confregisti, & capite amputato, Christo victima cecidisti.

S. Aëlrede, qui pro tirone tentato, & è religiosa domo exitum jam quærente, oràsti; & ille ne per apertas quidem portas exire potuit; cùm diceret, se à muro ferreo prohiberi, qui per decem annos cal-

culo

culo, arthritide, colicâ vexatus, cælesti luce illustris ab Angelis es visitatus, colloquiq; auditus. Qui moriturus, visus es in domo, ex odoratis lignis constructâ, splendidáque, in lecto quiescere; & cuidam per quietem, dixisti: *Pridie Idus Januarii migrabit Ancilla Domini anima mea.*

S. Victoriane Abba.

S. Joannes Patriarcha Hierosolymitane.

S. Rogate, Modeste, Castule, & alii Martyres quadraginta.

Ss. Tigri, & Eutropi, Martyres.

S. Sotice Martyr. S. Symphorosæ sanctæ conjux.

S. Honorata V. monialis, S. Epiphanii soror; de cujus corpore transferendo S. Litifredus Ep. cælesti visione est monitus.

S. Fergeole Episc. M. pro vindicata Ecclesiastica immunitate, in exilio jugulate.

S. Olympia M.

S. Nazari.

Ss. Naini, Jacobini, & Anselme MM.

Sancti quadraginta duo Martyres, ob imaginum cultum cæsi.

S. Joannes Ep. ab *Angelorum* familiaritate, *Angelos videntis* nomen adepte: cui Angelus calicem porrexit in Sacro.

S. Probe Episcope.

S. Benedicte Abba.

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 40.

S. MARIA, *cujus Sponsi* Josephi *morientis diem hodie colunt Syri, & Armeni: da me illi in discipulum; ut ille doceat me, quomodò debeam sanctè revereri, ac amare te: ac in hoc semper proficere!*

S. Maria, *quæ Bononiæ, hoc die, anno* 1516, *in tua imagine*, à Populo *dicta, miraculis celebrari cæpisti, cùm miles, erga illam parum reverens, cæcus factus totusque tumidus, humi prolapsus est: at supplex tibi, statim consanuit. Fac, ut te colam cum omni reverentia; & sana me cæcum: sana me ab omni morbo, quocunque nôsti me laborare!*

13. *Januar. Idibus Januar.*

S. Godefride. è Comite Religiose, qui sæpè instar mortui te componens cum gemitu suspirabas: *O si veniat hora illa nostri transitûs! O si ad hanc horam aptare, ac præparare me digneris, Domine Deus meus!* & moriens, verbis illis: *Exite obviam ei*, è cœlo auditis, invitatus, salutaris missis è cœlo ad te nuntiis, mori, & in cœlestem Jerusalem, candidæ, ac flammantis instar columnæ assurgere visus es; ac post mortem coruscus totus, & auro redimitus, dixisti; te, sine gravi examine, beata immortalitate coronatum. O transeam & ego, sine gravi examine! Ostendisti tu, in aureo tuo diademate, scriptum: *Induit me Dominus vestimento salutis, & indumento lætitia circumdedit me, & tanquam sponsam decoravit me corona.* Post mortem, dormientem quendam excitasti, cumque illustri tua præsentia, & voce, ad preces hortatus es, dicens: *Frater mi, surge quantocyus; quia Conventus jam Chorum ingreditur.* Pone in me divino amori columnam igneam, quæ sit fundamentum omnium operum meorum, Præpara me ad illam vestem, ad illam coronam, ad illam horam mortis sanctæ, ad quam præparari petiisti, & impetrasti, Amen.

San-

Sancti quadraginta Martyres.

S. Potite M. qui à dæmone, Angelum lucis mentito, ad sordes voluptuarias tentatus, & victor eundem te postea tauri ferocis specie, impetente, oratione fugasti: qui eidem, Christi speciem mentito, teque ad patrem, tuæ animæ inimicum, invitanti, dixisti, ab Angelo sic instructus: *Si tu es Christus, flecte genua mecum, & oremus*, eumque vicisti, dirè clamentem, se Antonini, & Gelasii cor, ut te interficiant, ingressurum. Cui oranti dixit Angelus: *Fiat tibi sicut petisti. Deus tecum est; & ubicunque invocaveris illum, paratus est tibi Deus*, qui clavum, quo confixus eras, orando in tyranni caput convertisti: qui amputatâ linguâ dixisti: *Benedicam Dominum omni tempore!* cujus, capite plexi, anima, columbæ instar, exire conspecta est.

S. Hermyle, qui hanc è cælo vocem audisti: *Amen, amen, Hermyle; esto bono animo, loquere, decerta: post tres dies liberaberis à præsentibus molestiis præclaras autem & magnificat accipies præsentium laborum remunerationes:* ac tandem cum Stratonico in Istrum, *Gloria in excelsis Deo*, canens, demersus es.

S. Gumesinde, & Servie Dei, Matyres,

S. Leonti, & Agrici, Episcopi.

S. Viventi, cui mortem nuntians Angelus, dixit: *O Viventi gaudendum est tibi! instat enim gloriosum tuæ vocationis è præsenti tyrocinio, tempus; quo jungeris Sanctorum consortio laureatus*, qui extremo vitæ die divinum sacrificium celebrasti, ægros curasti, & centesimo, ac vigesimo ætatis anno moriens, S. Michaelem, & Gabrielem, cum Angelis aliis, contra dæmones, defensorem, & ducem in cælum, habuisti,

buisti, cujus vestis, furto sublata, vendi non potuit, & suâ se luce prodidit, quocunque loco poneretur.

S. Kentigerne Ep. quo nascente Angeli cecinére: qui tuos, in turmas varias, ac diversa tempora, ad canendas Deo laudes perpetuas, distribuisti: cui, S. Columba vidit columnam igneam, per modum coronæ aureæ, imminere, cui antè mortem, pro discipulis, mori cupientibus oranti, Angelus dixit: *Fiet tibi sicut vis.* Cras egrediemini de corpore mortis hujus ad vitam indeficientem.

S. Eutici, qui à morte ad vitam redux, te pro lacrymis, æternâ inter Angelos lætitiâ donatum, dixisti, & iterum obiisti.

B. Ivetta vidua, quæ ab Angelis veste aureâ & monili pretioso ornata es, voce quoq; ad te de cælo lapsa; *Dimissa sunt tibi peccata tua*; sed monita es, ut deinceps te custodires: quæ vanam puellam, indignè communicantem, inter officiosos circùm dæmones mediam, conspexisti; quæ à S. Maria Magdalena ad pedes Christi deducta, ibique inter lacrymas provoluta, à Christo iterum audisti? *Dimissa sunt tibi peccata tua, quoniam dilexisti multùm*; & ab eodem Virgini Matri es unicè, commendata pro horâ mortis; quam facie tota splendidâ obiisti.

B. Veronica, quæ Deiparam spiritûs magistram habuisti, & à Christo docta es, ei esse gratissimum, si MARIÆ dolores crebro expenderes: eandem, coram illo Judice pro mundo supplicem vidisti, ac de monialiũ negligentiâ in divinis conquestã audisti; monialẽ, quæ triginta annorũ morbos sanctè per-

tulerat

tulerat, admirabili in cœlo gloria coronari, voc de cœlo missa, percepisti; cantandi modum san ctum ab Angelo didicisti, cum eodem Officium divinum recitasti; quæ à Sanctis per annum singu lis visitata es, & non nunquam etiam reprehensa quæ singulis diebus Sabbati videbas Deiparam, choris Cælitum honoratam.

S. Glaphyra Virgo.

S. Remigi Episcope, hodie mortue.

OMNES SANCTi, &c. *pag.* 40.

S. MARIA, *qua à Beata* Ivetta *vidua implorata juvenem impudicum ab ea fugasti, eamque tuo aspectu solata es, & pro Christi tribunali in tuam fidem recepisti, illius posteà quotidiana consultrix. Protege me, & rege consilia mea consiliis tuis semper!*

14. *Januar.* 19. *Kal. Feb.*

S. Felix quem vinculis exemit, ac, sex mensibus, cibo, & colloquiis, recreavit Angelus Dei: cui latenti, araneæ telas pro muro contra persecutores texuerunt. Defende me contra persecutores, in mortis articulo animam meam ad mortem æternam, quæsituros: oppone te, cum Angelo tuò, murum pro me: recrea me, ut in æternitate felici sim tecum æternùm felix, Amen.

JESu, fili Dei, & MARIÆ Virginis, cujus nomini festum est hodie destinatum; miserere mei æternùm.

S. Pontiane M. per duodecim dies ab Angelo paste in carcere, cùm caneres: *In Domino confido, non timebo, quid faciat mihi homo.*

C S. Mala-

S. Malachia Propheta.

Ss. triginta octo Martyres Monachi,

Ss. quadraginta tres Mart. Monachi Ægyptii.

S. Dari Episc. qui dæmonem, domum, in qua eras, variis ferarum terriculamentis infestantem, fugâsti.

B. Odorice, qui ante mortem à Christo certior factus es, tua tibi peccata esse dimissa, qui in morbo sanctum Franciscum, in nube tibi præsentem, vidisti, & se ea, quæ optabas, curaturum, promittentem audisti.

S. Hilari, qui Apræ filiæ tuæ Christum sponsum pulcherrimum, optimum, ditissimum, nobilissimum, persuasisti; & illam, mori optantem, coram te orante, sine dolore, morte suavissimâ decedentem vidisti. Ad cujus sepulchrum oblata à duobus ceræ massa, mediâ sui parte ultrò divisa est; eò quòd duorum alter eam invitus offerret. Fac, ut ex corde amem, ex corde serviam Deo meo.

S. Euphrasi Episc.

S. Juliane Saba, fidei mirabilis propugnator.

S. Macrina. S. Basilii avia.

S. Joannes, & socii, in sancta solitudine à barbaris cæsi Martyres.

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 40.

S. MARIA, *quæ hodie ab* Odorico *tuo conspecta es ire, unà cum Sanctis è cælo fœminis, ac Virginibus, ad pauperem Virginem, in agone jacentem, & eidem ab illo Sacramenta ministrari jussisti. Veni, visita me morientem, cum omnibus Sanctis tuis, & dispone me ad mortem sanctam!*

S. MARIA, *ad cujus aram, divinum sacrificium*

celebrantis, S. Theodemarii *caput visum est coronâ aureâ, & cælestibus margaritis splendidâ, coronatum; cui divinis mysteriis aliàs operanti, duo Angeli ministrabant; quorum alter dixit Ebizoni, ad ministerium illud invito:* Ecce, cui tu servire contemnis, quomodo ei Angeli serviunt! *Fac, ut incruento illi sacrificio, eâ, quâ par est, reverentiâ, me impendam, à te ad id adjutus!*

S.MARIA, *cujus hoc die festum agitur thermis Himeræorum in Sicilia, cujus lampadis sabbathinæ oleo unctus, anno* 1553. *puer duodecim annos natus, undequaque solidus, ac sanus apparuit; cùm prius ossa in pedibus haberet mollia, carnis instar. Imple cor meum oleo tuo, igne tuo impetra mihi soliditatem in iis, quæ pertinent ad dirigendos pedes meos in viam pacis æternæ!*

15. *Januar.* 18. *Kal. Feb.*

S. Paule, tot candidorum filiorum Patriarcha: cui quindecim tantùm annos nato palma, in eremo, ad centesimum, decimum tertium vitæ annum, victum, ac vestem, & annis sexaginta corvus quotidie panem dimidium dedit. S. Paule, qui flexis humi genibus, expirasti orans, & cadaver hoc situ moriens reliquisti: cujus animam, inter Angelorum choros, inter Prophetarum, & Apostolorum cœtus, in cælum ascendere vidit Antonius: quem idem, & leones duo, sepelivêre: cujus tunica, è foliis palmæ contexta, diebus Paschatis & Pentecostes, utebatur S. Antonius. Ora, ut tales hic socios amem, qui me ducant, vel quos ducam, illuc, ubi es; ora,

ora, ut orem benè;ut inter bonos melior,inter malos vivam bonus, & moriar bonus,eamque ad illo choros, in quibus te vidit Antonius. Amen.

s. Maure Eremita, quem, quòd mortuus natus ad vitam redieris,Sanctum mortuum, alii Sancte-mortuum appellârunt.

s. Ablebetre Ep. Ss. Virginum, Raineldis,& Gudulæ, frater.

Sancti Abacuc, & Michæa, Prophetæ,

s. Secundina Virgo Martyr, de qua hæc vox è cælo venit: *Vos oratione secundinæ vivetis*: quæ corpore lacero, ac cælesti luce splendido, lac per vulnera effudisti,& odoribus,ac splendoribus mirabilis, Angelos ista canentes audisti: *Veni Sponsa Christi, accipe coronam, quam tibi Dominus præparavit in æternum!*

s. Ephysi, instar Sauli converse, qui conspecta in cælo Cruce crystallina, vocem à Christo audisti: *Ab hac hora vas dilectionis eris.* cui ægro Christus, te visens, *Pax tibi,* ajebat, *Ephysi, dulcis amice: confortare mecum iterùm, ac viriliter age: accipies enim coronam*, qui sæpius cælesti luce perfusus,contritis manibus in ardentem fornacem projectus, atque combustis crudelitatis ministris, illæsus à Christo ad coronam invitatus es, & capite tandem plexus. Ora,ut cor meum, oculi, lingua, totus ego, ab hac hora, sim vas veræ dilectionis.

s. Maxime Episcope.

s. Isidore Presbyter.

s. Bonite Ep. qui crescentibus podagræ doloribus, morte divinitùs ante cognita, inter psallendum, & lacrymandum, extinctus es,

S. Macari Abba, silentio calumniam fœdam p se, à Deo defense: silentii, ac humilitatis magiste qui dæmones ad monachos, variis cum phialis, a tentandum, euntes, vidisti, viduæ ut succurreres, r sponsum à mortuo accepisti; silentium, pro virtut compendio, suasisti: cui dæmon dixit, se contra t nihil posse; neque se à te jejunio aut vigiliis, verùm humilitate unicâ, superari.

S. Alexander miles, sacrâ lectione converse, pe petuæ, per viginti quatuor horas, orationis magi ster: qui ignem è cœlo elicuisti.

S. Joannes Calybita, Angelico pane nutrite: qu in domo paterna, instar Alexii, squalidus, & igno tus, latuisti: cui ante mortem, apparens Christus *Salve Joannes!* inquit, *tuæ exercitationis tempus, & laborum tuorum certamen, completum est, post tre dies ad me venies, ad illam justorum requiem,* & ivisti.

S. Maure Abba, qui Religiosum, orationis tem pore, mente spontè vagum, (ostendente id tibi S. Benedicto) per fimbriam vestis foras à nigro puero trahi vidisti; aquas pede sicco, obedientiæ amore calcâsti, moribundo Eligio, pro Dei tribunali, vi tam longiorem impetrâsti; S. Benedicti, in cælum euntis, viam, palliis constratam, lampadibusque il lustrem vidisti; tibi detrahentes, eoque à dæmone possessos, liberâsti; laxo cuidam cœnobio, post mortem, ut pœnitentiam ageret, nuntiâsti.

S. Ida V. ob singularem Ss. Trinitatis cultum, admirandis è cælo donis, & ab Angelo tribus pre tiosis lapillis, ditata; ac monita, ut tot jejuniis tem perares: posteà ab Angelo cibis pasta; ad perci-

piendam

piendam divinam Eucharistiam, procul deportata & inter orandum, lumine, veluti Sole triplici, collustrata, Impetra mihi à SS. Trinitate spiritum orationis, è vero Dei amore profectæ.

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 40.

S. MARIA, *quæ* S. Bonito *hodie cælestem vestem coram Cælitibus donasti. Procura mihi vestem nuptialem, ne ejiciar in tenebras exteriores!*

16. *Januar.* 17. *Kal. Feb.*

S. Fursee, qui ab Angelis in cælum raptus, indè Orbem hunc, perfidiæ, discordiæ, avaritiæ, & in miseros crudelitatis, flammâ ardere vidisti: qui à dæmonibus, minima quæque crimina tibi objicientibus, objecto ab Angelis clypeo, contra ignea inferni jacula defensus es. Angelis familiaris semper: qui ad corpus redire, ut mundum ad frugem reduceres, jussus, didicisti, mundum, Superiorum omnis ordinis negligentiâ, interire; qui Angelos canentes audisti: *Tempus, ad longam æternitatem, breves nimis labores nobis dare*, qui æger te alatis manibus in altum ferri vidisti; & *Angelos*, hæc verba concinentes, percepisti; *Ibunt Sancti de virtute in virtutem.* Ora pro me, *Angelice* Apostole, ut & ego id experiar; ut me à mundi, & inferni flamma, cælo servem; ut me celestes Angeli scuto suo, à dæmonum igneis jaculis, protegant nunc, & in hora felicis mortis meæ. Amen.

S. Marcelle Papa, qui pro Christo fustibus cæsus in animalium servitio, in cilicio defunctus es.

SS. Berarde, Petre, Accursi, Adjute, & Otho, Or-

dinis Minorum Martyres, cælesti lumine roborati, Sancti quinque MM. quorum reliquiæ se ab impuris visitari, & contingi passæ non sunt.

S. Henrice, Eremita regie, qui aulam fugiens Crucifixum consultorem secutus, ab eo te vitæ libro inscriptum audisti, vermes in tuo ulcere aluisti, à Sacerdote moriente dæmonum catervam fugâsti: quo è vitâ discedente, Angeli, *Te Deum laudamus*, alternis choris, canere sunt auditi.

S. Honorate Ep. cujus animæ, in cælum abeunti, Sancti obviam venisse sunt à pluribus visi.

Ss. Fitiane, & Mela, Episcopi.

S. Honorate Abba.

S. Priscilla, ministra Martyrum.

S. Joanna V. contra pestem advocata.

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 40.

S. MARIA, *quæ hodie in maximo mœrore, ac tremore moribundo Religioso tuo clienti mœrorem in lætitiam dulcissimam convertisti, dato illo consilio, ut nomen* JESU *centies pronuntiaret.* O MARIA, *doce, me nominare* JESUM, *amare* JESUM, *& mori in nomine* JESU.

17. *Januar.* 16. *Kal. Feb.*

S. Antoni, qui ad illud in templo auditum: *Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia, & da pauperibus*, id fecisti; & adolescens, quicquid in ullo virtutis vidisti, æmulari studuisti: tot filiorum sanctus Patriarcha, dæmonum tentantium semper victor, & terror S. Pauli primi Eremitæ hospes, corvo illi tunc panem integrum afferente, cùm alias tantum dimidium afferre soleret: qui mundum laqueis plenum conspexisti; & quia humilis, evasisti: qui animas

animas à cæli ingressu, dæmonum gigantum operâ prohibere vidisti. Ora, ne me prohibere possint; ut de illis victor, & humilis, evadam laqueos mundi, & laqueo contrito liberer, asserarque in libertatem liberorum Dei. Amen.

Sancti Speusippe, Eleusippe, & Meleusippe, Martyres; qui, ante mortem, effusos è cœlo vobis obvios Angelorum choros vidistis, à Christo ad beatam æternitatem invitati.

Sancti Deodore, Mariane, ac socii Martyres.

s. Sulpiti Pie Archiepiscope, pluribus de dæmone victoriis, & miraculis gloriose.

s. Genulphe Ep. quem, in asperrimo cilicio, & cinere morientem, visens s. Petrus, suum dilectum dixit, & ad coronam invitavit: qui moribundum, unà cum Sanctis ejus provinciæ, illi assistentibus contra dæmones defendisti.

s. Ricmire Abba, qui cæcum, prius peccata confessum, illuminâsti.

s. Antoni, cui, quotidianis lacrymis ad cælestia anhelanti, dictum: *Paratus esto, quia Dominus jussit te migrare:* cùmque te sumptus ad migrandum habere negares, audisti: *Si de peccatis agitur, remissa sunt*; & paratus migrasti.

s. Merule, lacrymarum, & eleemosynarum, plene; qui sertum, è candidis cæli floribus textum, de paradiso, super tuum caput descendens, vidisti, & lætus coronandam animam exhalasti.

s. Joannes, sanctæ indolis adolescens, qui à morbo divinitùs curatus, audisti è cælo: *Surge; ex hac enim molestia haud morieris: sed paratus esto; quia non diu hic futurus es.*

s. Joannes Constantiensis Ep.

OMNES SANCTI, &c. pag. 40.

S. Maria, *cui cœnobium extruxit hodie mortuus* Theodoricus *Comes Flandriæ.* Laus Virginis *nuncupatum. Domus, & cubiculum, in quo habito; & quicquid cogito, loquor, ago, oro, ut sit* Laus tua, *ô Virgo amabilis, atque laudabilis!*

18. *Januar.* 15. *Kal. Feb.*

S. Prisca Romana Virgo nobilis, quæ tredecim tantùm annos nata, operta verberibus, ferventi adipe delibuta, à leone ad pedes abjecto honorata, triduanâ inediâ afflicta. in equuleo ungulis ferreis cruciata, à rogo illæsa, divino lumine, ac cælesti voce, cantuque Angelicô animata, capite plexa, ad cælum evocata es illa voce: *Ingredere in regnum cœlorum cum omnibus Sanctis; quia certâsti pro nomine meo;* & cadaver virgo ab aquilis custoditum. Tenerrima, & fortissima Virgo, per omnia illa, doloribus, & gloria plena, mortis tuæ, instrumenta, te rogo, juva me inter dolores mortis meæ, ne per dolores mortis hujus, ad dolores æternæ mortis abripiar; sed ad gaudiorum illorum æternitatem ducar, ubi in throno rutilante sedere conspecta es. Amen.

s. Petre Apostole, Romanæ Cathedræ Princeps.

Sancti Mosce, & Ammoni, milites pro Christo combusti.

s. Archelaa V.M. à famelicis leonibus nihil passa; cui opem vox è cælo missa spospondit.

San-

Sanctæ novem sorores Regis filiæ, Virgines MM.

S. Athenogenes Theologe, qui per ignem ad æternitatem transiturus *Martyr*, lætus hymnum cecinisti, cumque scriptum discipulis reliquisti.

S. Volusiane Ep. in exilio extincte.

S. Leobarde recluse, qui mortis semper memor, tu ipse tibi sepulchrum vivens præparasti.

S. Deicola *Abba*, qui pallium tuum è Solis radio, velut è clavo, suspendisti, illo ibi, per duas, tresve horas, pendente, in omnium admiratione.

S. Liberata Virgo.

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 40.

S. MARIA, de Providentia *dicta, & hodie celebrata, cujus etiam hodie electionis diem celebrant aliqui, quæ electa es ab æterno. O Domina, provide mihi; & effice, ut ita te colam, uti te coluerunt, & colunt electi Dei, in quibus radices misisti.*

19. Januar. 14. Kal. Feb.

S. *Abundantia*, cui in baptismo, ultrò, in templo, accensæ sunt lampades: cui & nascenti, & morienti campanæ, absque mortali ope, applausêre: cujus mortem pretiosam etiam canentes Angeli ornavêre. Ne, quæso, miseri hujus morientis obliviscere, inter æternas delicias tuas, apud JESUM tuum, & MARIAM. Ora illos, ut lætitiam Angelis Dei creet mea mors, non verò dæmonibus: ut in templo sancto gloriæ suæ, Deum meum, una tecum, benedicam, æternùm benedictus. *Amen.*

Sancti Mari, & Martha, nobiles conjuges, cum

filiis *Audiface*, & *Abachum*, Martyres, inter agendas Deo gratias, fustes, equuleum, ignes, uncos ferreos, manuum præcisionem, passi, & decollati.

s. Germanice Martyr adolescens, à fera dilaniate.

s. Paule, Geronti, Januari, Saturnine, Successe, Juli, Cate, Pia, & Germana, Martyres.

s. Pontiane, virgis cæse, qui carbonibus nudipes inambulans, neque læsus; equuleo, & uncis ferreis suspensus, in carcere ab *Angelo* visitatus, leonibus expositus, plumbo perfusus gladio percussus es.

s. Bassiane Episc. hæreticorum mallee, qui dum sacro fonte lavareris, *Angelus*, pulcherrima luce splendens, te candida veste induit, qui in lance falsa, dæmonem æthiopem parvulum aspexisti, & fraudulentum illum mercatorem convertisti: qui noctu Sss. Trinitatem rogans, ut te ad gloriam, diligentibus se promissam, dirigeret, vocem è cœlo audisti; *Lætare, fidelissime satelles Christi; quoniam deprecatio tua admissa est coram Domino, & sedes gratissima in cælo tibi parata*: qui à S. Joanne Evangelista monitus es, ut patris tui techvas effugeres.

s. Wulstane Episc. in Synodo, contra mendaces, à Sanctis Dunstano, & Oswaldo, defense: qui post mortem Roberto Episcopo apparuisti, eum de ignavia corripuisti; ut sibi, ac suis acriter attenderet, monuisti; ac dixisti, sic eum peccatorum venia, & cæli convivio potiturum: coram quo homo, inimico ignoscere nolens, à dæmone primò, secundò, tertiòque arreptus, à te postmodum, ubi ex corde ignovit, curatus est.

s. Catelle Episc. in carcere, à S. Michaele Archangelo, bono animo esse jusse,

S. Launomare Abba, qui oratione, signo Crucis, & oleo, ignem, morbos, dæmones fugâsti.

S. Aquiline Herbipolensis, qui à Coloniensibus, tùm à Parisiensibus, (quos à peste liberaveras) pro Episcopo optatus, ac fugâ elapsus, demum ab Aria- nis gladio in gutture transfixus, nobilis Deo victi- ma cecidisti, & illi repentè, coortâ densâ nebulâ, im- pediri sunt, ne sacrum tuum corpus auferrent.

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 40.

S. MARIA, *quæ* S. *Abundantiæ, octo annos nata* JESUM *parvum attulisti; à quo illa aureum pomum accepit. & ei flores hibernos dedit. Da mihi, quod ei donum; & fac, ut id donem Filio tuo, quem in Eucha- ristiâ accipio, quod illi maxmiè placet.*

20. Januar, 13. Kal. Feb.

S. Sebastiane miles, qui è cœlo audisti: *Nunquam non mecum eris*; qui ex aperto Angeli coram te libro visus es omnia dicere, quæ dicebas, qui fra- cto, in astrologiæ judiciariæ usus facto, cœlo vi- treo, Mathematicum persanâsti, & convertisti; qui sagittis meta factus, metam sanctam attigisti, Deum; peste laborantium advocatus. Tuis, quæ- so, precibus, id effice, ut plus anima semper luem horream, quàm corporis; ut ita omnia in oculis Dei faciam, ut in vita, in morte, in æternitate, sem- per sim cum Deo, & experiar illud: *Nunquam non mecum eris.* Amen.

S. Fabiane Papa M. qui delapsæ super tuum caput cælitùs columbæ signo, in Pontificem electus es.

Sancti Basse, Inna, Leonti, & socii Martyres.

S. Neophyte, quindecim annorum adolescens, qui matrem à mortuis excitâsti, & ab Angelo Custode nutritus, illo comite, ad Tyrannum adiisti; flagris deinde cæsus, in fornacem injectus, feris objectus, semper illæsus, gladio martyrium consummâsti.

S. Maure Episcope.

S. Euthymi Abba, qui divinum sacrificium, igne cælesti, Angelisque circumdatus, peregisti: qui ubi S. Cyrilli os divino quodam succo ter unxisti, illum facundum reddidisti: qui duos ab eo, quod illis dæmon injiciebat, freno liberâsti, & eorum alteri dixisti: *Attende tibi; totus sis oculus instar Cherubini: cogita te inter laqueos incedere*, qui è quodam sulphureum dæmonem, tassum se esse spiritum luxuriæ, fugâsti, ad Eucharistiam accedentes, quosdam illustres, quosdam nigros, esse vidisti, post mortem sanctam etiam admirandus.

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 40.

S. *MARIA, quæ dilectam tuam* Eustochium, *cùm ob vitæ arctioris curam, à pluribus affligeretur, visitasti, solata es, & de arcanis cælestibus docuisti. Doce me, & effice, ut propter humanos respectus nihil negligam eorum, quæ Dei sunt!*

S. *MARIA, cujus mira effigies, hoc die anno* 1518. *Lilybæi reperta est, posteaquam tu religioso Ecclesiastæ per quietem oblata, eum monuisti, ut saxo quodam perfracto, tua istic imago quæreretur, quâ repertâ ibi supplicibus aliis aurium, aliis linguæ usum reddidisti: Proregem Siciliæ ab hernia, & complures alios à morbis aliis, persanasti. Doce me, hortare me, ut te quæram, atque inveniam; ut perficias aures meas, linguam meam, cor meum tibi!*

21. *Jan.* 12. *Kal. Feb.*

S. Agnes, tredecim annos nata Virgo, ubique contra omnes, ab Angelo custodita, illustrata: quæ cælesti cyclade ab Angelo contecta, collapsum ad pedes tuos, mortuum impurum juvenem revocâsti ad vitam: cui parcens ignis, flammis bifariam divisis, adversarios tuos combussit: quam Jesus æternæ charitatis annulo subarrhavit: quæ gladio transfixa, carnis spurcitias immaculato calle transivisti, & apud illum lucidas sedes accepisti. Gratulor felicitati tuæ! Ora & pro me illum, cui jam juncta es in cælis, ut ne sinat me ire in tenebras exteriores; verùm etiam me, in lucidas illas sedes accipiat. O magistra divini amoris, quæ, hoc tuo die, S. Mechtildi visa es ab altari venire, cum thuribulo aureo, gemmis distincto, cordis tui, & verborum Dei amore ardentium, symbolo, ac animas orantium thure suavissimo recreare: cùm autem tua illa verba: *Amo Christum*, canerentur; Christus te sub suo brachio, tua verò verba omnia charactere aureo, longè lateque splendente, scripta ostenditare radio, è corde attentè orantium, in cor Dei; ac inde in cor tuum, transeunte. Aliàs quoque ostensa es S. Gertrudi, cordi Christi admota; unde in corde Christi nobilitatæ preces, ad te, à clientibus tuis fusæ; in cor tuum instar nectaris, fundebantur: ostensumque divinitùs est, addictas tibi animas, à te, *singulis horis*, cælesti splendore perfundi, cumque hoc die tota cælestis curia Deum, ob datam tibi gratiam, & gloriam, celebraret; vidit Gertrudis Deum,

amoris illius *suavitate* mirificè delectari: Doce me, quomodo debeam Deum modis quàm optimis, & quam maximis, singulis horis, delectare: imple cor meum auro igneo, thure cælesti, & Seraphinorum carbonibus; ut omnis hora mea, tota vita mea, & mors mea, actuosâ quâ voce, quà silentio, clames semper tuum illud: *Amo Christum. Amen.*

S. Publi Ep. Martyr doctissime.

Ss. Felix, Hermes, Valeriane, & socii MM.

S. Fructuose Ep. qui, cum Sanctis Augurio, & Eulogio, flammis injectus, exustis vinculis, manibus in modum Crucis expansis, orans martyrium complevisti, cujus anima, unà cum sociorum animabus, aperto cœlo, spectantibus pluribus, ab Angelis recepta, est coronata; qui etiam, cum iisdem, post mortem, Præsidi in stolis candidis apparuisti.

S. Patrocle M qui, cùm gladio percutereris, flexis genibus ultimò sic orâsti: *Domine, in manus tuas commendo spiritum meum! tu enim scis, quòd propter tui nominis gloriam has pœnas subeo.*

S. Meinrade Eremita, cui infestos dæmones Angelus custos abegit, & idem tibi noctu oranti adstare, atque colloqui, eleganti parvuli specie, conspectus est.

S. Epiphani Episcope, sanctarum quatuor sororum, Luminosæ, Liberatæ, Speciosæ, & Honoratæ, frater; quem, adhuc infantem, cælestes radii illustrârunt.

OMNES SANCTI, &c. pag. 40.

S. MARIA, *de qua* S. Birgittæ, S. Agnes *de cœlo dixit*: Dilige Matrem misericordiæ; *Da ut ita te amem,*

sicut

ſicut amari te à me optant Sancti, qui te maximè amaverant.

S. MARIA, *quam, hoc die, cum S.* Agnete, *videns S. Mechtildis, à te juſſa eſt AVE MARIA recitare, & mox in hac verba erupit* : Ave ex Patris omnipotentia; ave ex Filii ſapientia; ave ex Spiritus ſancti benignitate, dulciſſima MARIA, cælum & terram illuminans; gratia plena, replens omnes te diligentes! *Imple cor meum, ut cor Agnetis, Mechtildis, ac omnium te diligentium implevisti; ut tandem seriò amem Deum.*

22. *Januar.* 11. *Kal. Feb.*

S. Vincenti, qui verbera, & equuleum, pro Christo paſſus, craticulæ impoſitus, prunis ardentibus ſuppoſitis, ac ferreis unguibus excarnificatus, candentibuſque laminis exuſtus, teſtaceis fragmentis inſtratus es, Angelo te confortante, & carcere cæleſti lumine illuſtrato, cujus ſacrum cadaver corvus ab avibus, ac lupo defēdit. S. Vincenti, Laurentii æmule patria, doloribus, gloria, imple cor meum vivis prunis amoris Dei; ſolare me in ſupremo lectulo jacentem ad mortem; ut, tuis precibus adjutus, horrendum illum, æternis prunis ſtratum, lectum evadam, tecumque in beata æternitatis quiete quieſcam. Amen.

S. Anaſtaſi M. legendis, imitandiſque Sanctorum Vitis addictiſſime; cujus etiam imagine dæmones fugantur, & morbi; quem ligatum Cælites odoribus venerati ſunt.

Sancti ſeptuaginta Martyres, aquis demerſi.

Ss. Vin-

SS. Vincenti, Oronti, & Victor. MM.

S. Gaudenti, Episcope castissime, cujus eâ, quâ manus laveras, aquâ ægri curati sunt.

S. Dominice Abba, ad quem missi, & furtim à servis absconditi, pisces versi sunt in serpentes; qui hominem famæ tuæ detrahentem, ideòque à mente alienatum, menti restituisti; & stupendis patratis miraculis, vitæ finem, orto in gena ulcere, attigisti.

S. Joannes, ac Leo MM.

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 40.

S. MARIA, A. Josepho *hodie desponsata, quæ hodierno* Walkero *tuo Crucem auream dono misisti, & eum* dilecti amici *elogio es dignata. Dignare me, Domina, in servum admittere, & doce me pretiosè pati, & quidquid se offert patiendum, tanquam pretiosam Crucem à Deo, per te, mihi in amicitiæ signum, missam gratè accipere!*

23 *Januar.* 10. *Kal. Feb.*

S. Joannes Eleemosynarie Ep. vir misericordiarum; cui Eleemosyna, specie filiæ Regis, visa, dixit: *Ego sum prima filiarum Regis, ego te ducam in conspectum Imperatoris:* qui, pro eleemosyna liberaliter datâ, centuplum accipiebas, etiam in hac vita: qui de imperfecto sepulchro tuo moneri in festis solennibus volebas: cui inscripta splendida domus divinitus hæc habebat; *Mansio æterna, ac requies Ioannis Archiepiscopi:* qui loquentes in templo, palà exire jubebas: qui à juvene, aureũ sceptrũ manu gerente, ac splendido hæc audisti: *Veni juberis;*

ris: *Rex regnantium quærit te*; cujus anima, obviis pauperibus, cælum visa est petere gloriosa: quem S. Petrus, post mortem, in æternam cæli mansionem inducere visus est. Sit mihi morienti solatio mea erga egentes omnes miseratio; ut liberaliter, ope corporali, vel precibus, consilio, modis omnibus, omnes juvem, quos à me juvari vult Deus, ut morienti mihi sit pater misericordiarum Deus meus, simque beatus inter misericordes, æternam misericordiam consecutos. Amen.

S. Emerentiana Virgo, quæ, ad collectaneæ tuæ S. Agnetis sepulchrum orans, lapidata es, & posteà parentibus, in frequentissimo Virginum choro, cum agnello candidissimo visa, dixisti, ne flerent: vivere te cum Christo in cælo, quem pleno, vivens & moriens corde dilexeras.

S. Eusebi, qui ob oculos, tempore sacræ lectionis in agricolas conjectos, illam inconsiderantiam ita in te punivisti, ut ferro undique alligatus, nec te erigere potueris per totos quadraginta annos, nec agrum illum, cælumve aspexeris.

S. Boisile, Sss. Trinitatis, & dulcissimi Nominis Jesu, cultor tenerrime; qui sæpè dicebas: *Quam bonum habemus* Jesum! cujus peste, ita ut prædixeras, morientis illa fuit oratio: *Domine* Jesu *suscipe spiritum meum!*

S. Bernarde Ep. qui morte præmisso toto orationis triduo, cælesti lumine circumfusus, vocem è cælo audisti, dicentem: *Veni! quia exspectaris.*

S. Parmena Diacone, M.

Sancti Severiane, & Aquila, Conjuges MM. combusti.

S. Ascla

S. Ascla M. aquis merse.

S. Clemens Ep. M. cui, ad Sacrum, Cælites panem, & vinum ministravére.

S. Agathangele M.

S. Ildephonse Ep. MARIANÆ puritatis defensor, quem MARIA Virgo veste cælesti donatum in terris, beatâ immortalitate vestiendum prædixit in cælis.

S. Martyri monache, qui ignem veste illæsâ portâsti, & eâdem leprosum tegens persanâsti, ac sublatum in humeros, Christum esse agnovisti, cùm ille tibi diceret, ab oculis evanescens: *Martyri, tu me non erubuisti super terram, nec ego te in cœlo erubescam.*

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 40.

S. MARIA, *pro cujus defensâ virginitate* S. Ildephonso *gratias egit* s. *Leocadia, è sepulchro prodiens, & palàm loquens. O Domina; doce me, ut ea agam pro te, quæ Deo valdè placeant, & Sanctis ejus!*

24. *Januar.* 9. *Kal. Feb.*

S. Babyla, qui pro Christo ligatus, & decollatus, pretiosa illa vincula tecum sepeliri voluisti. O! vivam ego, moriar ego, patiar ego libenter, quicquid pro Christo, vel à Christo, patiendum venit; ut gratias pro iis, quæ patior, agendo, pretium illis faciat affixa Dei voluntati voluntas mea. Illud, illud sit præparatio, & solatium mortis meæ, corona æternitatis meæ; maxima & minima, pro Christo, à Christo, libenter, cum gratiarum actione fuisse perpessum, Amen.

s. Timothée, s. Pauli Apostoli discipule virgo, pro Christo lapidate.

s. Eu-

S. Eusebia, seu Xena V. quæ contemptis nuptiis, Sancti cujusdam, tibi apparentis, ductu ita vixisti, ut à morte tua, in ipso meridie stellata, & cælesti astrorum choro coronata Crux, usque dum sepelireris, conspecta sit; corona vitæ tuæ, in jejuniis, & omni sanctimonia, transactæ.

Sancti tres pueri, Urbane, Prilidiane, & Epuloni, qui S. Babylæ discipuli, suppliciis fatigati, ad annorum numerum, alius duodecim, alius novem; alius septem plagis, coram, & cum matre, affecti, capita innocentissima dedistis.

S. Saviane M. à lectulo ferreo, igne, oleoque illæse; qui abscissum pro Christo tuum caput, ad sepulturæ locum, tuis manibus deportasti.

S. Macedoni, altæ scrobis incola, qui per annos quadraginta, hordeo tantùm, & aquâ pastus, morbos, dæmonesque fugasti; fœminam, quæ, arte dæmonis, bulimia semper avidè edendi vexata, triginta gallinas devoraverat uno die, incolumem reddidisti.

S. Cadoce, Ep. Regis fili, qui ad ludos invitatus in templum secedens suspirabas: O *cæca mens hominum, quæ semper transitoria appetit, & æterna respuit! Videte quid sitis, & ad quid facti sitis!* Cujus nola mirabili duo feruntur mortui suscitati.

sancti Musoni, Eugeni, Metelle, & socii, igne combusti.

s. Feliciane senex Ep. Martyr.

sancti Thyrse, & Projecte, Martyres.

s. Zama, prime Bononensium Ep.

s. Surane Abba.

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 40.

S. Maria, *cujus hodie celebratur festum* descensionis *ad templum Toletanum. Sim ego templum tuum: descende in me: sim tibi ara viva!*

S. Maria, *cujus* Patrocinii *festum celebrat, hoc die Ordo S. Benedicti universus, tibi unicè semper addictus, fac, ut quilibet dies vitæ meæ (sed extremus potissimum) sit* Patrocinii *tui dies!*

S. Maria, *cujus etiam hoc die, festum*, de Pace *dictum, in Hispania celebratur. Impetra mihi, ut vivam in pace cum Deo, cum conscientia, cum hominibus: & felix requiescam in pace, dum moriar.*

25. *Januar.* 8. *Kal. Feb.*

S. Paule è Saulo, à Christo, è cœlo tibi ad aures & cor loquente, converse Apostole, vas electionis, cujus sanctimoniæ primum elementum fuit, *Domine, quid me vis facere?* Converte tandem & me. Impetra mihi, quæso sanctam cæcitatem, sanctum lumen, sanctum jejunium, voluntatem divinam discipulam & ancillam, actuosam, vividam, igneam erga Deum & homines charitatem: ut sim tecum ibi, ubi te videndum dixit tuus Chrysostomus; *Ubi Seraphim volant, illic Paulum videbimus.* Imiter te nunc: olim videam. Imple cor meum, & linguam meam, illo amore, qui paret in me sedem Deo; doceat me ardere Deo, loqui de Deo. Fac me imitatorem cordis tui, & linguæ tuæ. *In lingua Pauli*, ajebat tuus idem Chrysostomus, *sedit Deus, ea tantùm loquebatur quæ Deo grata erant. Cor illius, cor totius Orbis, elementum nostræ salutis: cor accensum, & ignitum, cælis sublimius, Orbe latius radiis*

diis solaribus exhilaratius, igne ferventius, adamante solidius; cor, quod novam vitam, non hanc nostram, vixit Cor Christi, erat cor Pauli, tabulaque Spiritûs sancti, atque charitatis volumen. Domine JESU, rogo te per cor Pauli, rogo te per cor tuum, converte me seriò, fac meum cor, discipulum cordis tui, & Pauli; linguam, discipulam linguæ tuæ, & Pauli; ut ea tantùm cogitem, amem, loquar, quæ tibi sunt grata. Doce me legere, ac amorem discere, in illa bibliotheca divini amoris, in illo volumine charitatis, & tabula Spiritûs sancti: è corde, quod erat cor igneum, cor adamante solidius, denique cor tuum. Tunc te diligam toto corde. S. Paule, cujus conversi felicitas, hoc die, S. Franciscæ Romanæ tuæ discipulæ jussu, illi dixisti: *Esto firma, & libera in sancto amore, sis fidelis in cordis centro per humilitatem: summum Deum contemplare, qui te per amorem reformavit, fac, ut sis benè astuta, & in silentio esto semper ardentior in oratione, & in amore divino, qui te removebit à somno, noli esse scrupulosa.* Muta me in virum alium, sis consultor cordis mei, fac, ut audiam te monentem. Amen.

B. Henrice Suso, cujus cor, cum Paulo hodie converso, factum est vas electionis, dum pretiosum JESU nomen cordi tuo inscriptum repertum est: cujus dolores affulgens è cœlo, JESU nomine insignis, Crux est solata: cui, contra infamiam, alatus, è Cruce, Seraphini specie, Christus consolator fuit: qui manè quotidie MARIAM, cum Angelis canentibus salutabas: qui hodie ex Henrico Amandus vocatus es: cui humana nauseanti MARIA liquorem cælestem propinavit. Jam cum

JESU

JESU & MARIÆ, ad quos succollantibus *Angelis* moriens ascendisti ad æternitatem. Ora, ut convertar & ego in Paulum, in *Amandum*: ut me morientem, ad regnum æternum amantium ducat amantissimus *Angelus* Custos meus.

S. Anania, nervis laniate, lapidate, M.

Sancti Juventine, & Maxime, Martyres, quorum corpora, in sacrophago . cælesti quadam gratia splenduerunt.

S. Projecte Ep. M. qui oratione tua, in marsupio pecuniam pauperibus dandam, auxisti.

B. Antoni Amandulane, in cujus manibus panis frusta in rosas sunt versa, cùm timeres, ne ob eleemosynam corripereris; qui mortuus, dicebaris campanâ Religiosos ad orandum convocare; Dei laudes post mortem quoque cantare auditus.

S. Apolloni, qui pro humilitate Deum orans, dæmonem superbiæ, parvuli æthiopis specie, super collum tuum deprehendisti, & detractum sepelivisti, atque à Deo audisti: *Vade; quoniam quod petieris à Deo, accipies.*

S. *Adunaluva* Vid. S. Popponis mater, quæ lucernam extinctam tuâ oratione accendisti, sæpè cum Cælitibus, qui tibi oranti aderant, collocuta.

Sancti Donate, Sabine, *Agapes*, MM.

S. Marine M.

S. Britannio Ep.

S. Poppo *Abba* peregrinorum exemplar sanctũ, qui ad nuptias pergens, cælesti luce mutatus, plus posteà flere dictus es, quàm bibere: qui dæmonem alapâ fugasti: ac tandem, dum, plenus virtutum, terræ osculum dares, Deo animam reddidisti.

OM-

OMNES SANCTI, &c. pag. 40.

S. *MARIA*, *quæ hodiernum tuum* B. Henricum *sæpè visitâsti*, *sitientem recreâsti*, *præconem nominis JEsu appellâsti. Visita me: & ubi me languere vides, excita me!*

26. *Januar.* 7. *Kal. Feb.*

S Policarpe, dilecte dilecti Christo Joannis dis-cipule, qui Marcionem hæreticum, primogeni-tum satanæ addixisti: igni addictus, odores dedisti, igne innoxio, velut fornice aut arcu, tibi imminen-te: ac tandem gladio confixus es, anima tua, instar columbæ, visa è tuo corpore evolare, postquam di-xisti; nolle te Christo, tibi benè semper facienti, ma-ledicere. Sancte mi, ora, ut nullius satanæ primoge-nitus, improbus socius nemo, ne ipse quidem sata-nas, mihi, seu viventi, seu morienti, nocere quic-quam possit. Commenda me Magistro tuo Joanni; ut ille spiritum hunc meum, cùm expiravero, depo-nat in eo, in quo ille quievit, sinu Dei Jesu, Amen.

Sanct duodecim Martyres.

Ss. Dative, Æmiliane, & socii MM.

S. Theogenes Ep. & alii triginta sex Martyres.

S. Paula Vidua, ad præsepè nati Christi extincta, quæ ante mortem, ad decorem domus Dei, ad æter-nitatis domum, sanctè suspirans, dixisti, nihil te habere molestum; sed omnia tranquilla perspi-cere.

S. Simeon Prisce, qui in morte Moysis Abbatis, pronus, absque ullo cibo, per septem dies jacuisti, cælesti voce posteà surgere, & parata tibi tria po-ma jussus comedere.

S. Tho-

s. Theophani Comes, miſericordiæ operibus illuſtriſſime, cujus pedes, podagra, & ſanie miſerabiles, poſt mortem, integri apparuêre, & è ſepulchro fragrantia cœleſtis erupit.

s. Alberice, qui moriens gloriam tuis paratam vidiſti, & Litaniis, cùm diceretur: *Sancta MARIA ora pro nobis*; facies tua, Solis inſtar, tota reſplenduit.

s. Bathildis, è Regina Monialis, qua moriente, lux è cælo effuſa, & animæ tuæ migranti viſus eſt S. Geneſius, ſpiritualis olim tuus pater, & pulcherrimi Angelorum chori, animam tuam quaſi manibus, aliſque cœlo invehentes per ſcalas cœli.

B. Haſeka, per ſex & triginta annos, in ſancto ſilentio, recluſa Virgo, quæ, poſt mortem, cuidam tertio viſa, tuum iis, qui à te opem flagitaverint, auxilium promiſiſti.

Ss. Ioannes, & Arcadi, fratres; parentibus oſtenſi, quaſi Chriſto adſtantes, & Joannes quidem in throno, cum ſceptro, & corona; Arcadius verò, ſtellato cum diademate, penes lectulum. Crucem gerens.

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 40.

S. MARIA, *qua* S. Albericum *inter Angelos inviſens, illi religioſam veſtem dediſti; fac me dignum beneficiis, qua à te accepi, & qua ſpero à Deo per te!*

27. *Januar.* 6. *Kal. Feb.*

S. Joannes Chryſoſtome, ardens Elia, paſſe plurima, ob Jezabelem Eudoxiam: cui Sancti Petrus, & Joannes claves, & librum, ad ſcripturas intellig

telligendas,dedêre:cui scribenti Paulus,sacrificanti Spiritus sanctus,morituro S. Basiliscus Martyr (ad cujus corpus oraveras) adfuit,& hæc dixit: *Joannes frater, crastinus dies nos loco conjunget*; & conjunctus es, viatico sancto communitus. Aperi os aureum pro me,apud Deum; ut & ego moriens, ita viatico, ita tuo solatio, & comitatu muniar, ut mortis meæ *dies nos loco conjungat* æternùm. Amen.

S. Juliane Ep. qui dæmonem, in draconis forma, sævientem fugasti, serpentem, qui se totus pueri corpori undique illigarat,oratione dispulisti; captivos, per Angelos, liberasti, & à morte visus in gloria, te videnti benedixisti.

S.Lupe,cujus opem implorantibus captivis,carceres ultrò divinitùs patuêre.

Sancti Avite, Dati, Reatre, & socii MM.

Ss. Dative, Juliane, Vincenti,& alii viginti septem MM.

S. Vitaliane Papa.

S. Juliane Episcope.

S. Mari Abba.

S.Gertrudis,quæ,hoc die,pulcherrimum Jesum, sexdecim annos nati adolescentis instar, vidisti, ac te à tepore tuo his verbis excitantem audisti: *Citò veniet salus tua, quare mœrore consumeris; nunquid consiliarius non est tibi; quia innovavit te dolor? salvabo te, & liberabo te, noli timere cum inimicis meis terram lambisti, & mel inter spinas linxisti, tandem revertere ad me, & ego suscipiam te, ac torrente divina voluptatis mea inebriabo te.* Tunc liquefacto tuo corde præ flammis igniti illius eloquii vehementer, advertisti sepem, spinis horren-

tem inter Jesum ac te, symbolum tepidæ vitæ tuæ: sed ille te, dolenter gementem, illicò juxta se collocavit suâ illâ manu, in qua pretiosa Vulnerum monilia collucebant. Mox tu ab omni curioso, vanitatis, & literarum amore, ac ab iis, quæ tibi hactenùs malé placuerant, repentè avulsa, tota divino amore flagrans, totam te divino amori undequaque in holocaustum, actuoso actionem omnium ardore, dedisti. *Accende tepidum cor meum: exure sepes, & spinas, & omnia impedimenta, quæ tepefaciunt vitam meam.*

Omnes Sancti, &c. *pag. 40.*

S. *MARIA, quæ hodie* s. Joannem Chrysostomum *tunc puerum, tuo lacte lactâsti: qui tibi à* s. *Cyrillo visus est assidere in gloriâ, & à te contra detractores defendi. Doce me esse juxta te: defende me, & lacta cor meum; ne illud lactent peccatores, ne acquiescam eis, sed tibi, tuus corde, tuus linguâ, tuus vitâ, & morte. ô MARIA, tuorum tutela, & nutrix!*

28. *Januar.* 5. *Kal. Feb.*

S Jacobe pœnitens! tu magnus ad salutem, cum tremore operandam, stimulus es! Qui quadraginta jam annis in eremo, & abstinentia, & miraculis admirandus, post multas victorias victus, & in horrendum carnis, ac homicidii scelus prolapsus, tandẽ pœnitens, toto decennio, inter ossa, in mortuali cryptâ, vivus te sepelisti, pœnitentiæ victimi corpus non nisi radicibus, idque tantum bis quo hebdomadis, refecisti, & miraculis iterùm illustris sepulchro illi tuo immortuus es. O! per tuas

precec

preces, configat timore & amore suo Deus carnes meas; ut cumtremore semper operer salutem, quæ. tam æternitatem meam; ut me, nullius, nullius peccati reum, sistat inculpata vita mea morti meæ, mors mea æternitati meæ! Amen.

S. Agnes, quæ cum choro cælestium Virginum hodie parentibus apparuisti. Doce me vivere, doce me amare, quæ mortem perdidisti, & vitam invenisti; quia solum vitæ dilexisti authorem. Fac immaculatam vitam meam; fac Dei amor aureas & igneas horas vitæ meæ, tu, in cujus brevibus annis infantia computabatur, sed erat *senectus mentis immensa*. Ut sit aptum amando Deo, fiat cor meum immaculatum. Ita mihi non deerit *ætas senectutis, vita immaculata*. Tuis auribus tradiditDeus inæstimabiles margaritas, & immensis monilibus ornavit te. fac, ut aures cordis mei sint ad inspirationes Dei, velut ad inæstimabiles divini amoris margaritas, obedienter attentæ, ita fiet, ut discedat à me omne pabulum mortis, omnis tentatio, ac mihi vincenti arma & pabulum præbeat amorDei, à quo amatore præventa est anima mea. Tu expansis innocentibus manibus, in medio flammarũ orabas. Expande pro me quoque manus tuas; ut sciam orare, corde ac manibus expansis, in medio flammarum amoris Dei, quo ardent Seraphini, & quo tu, ac vos omnes, ardetis, qui olim hic singulari divini amoris incendio, præ aliis flagrâstis Faciat grata, & pretiosa opera mea is, qui *dexteram* tuam cinxit lapidibus pretiosis, induat Jesus etiam Sanguine suo lotâ animam meam cyclade auro sui amoris textâ; ut totus induar Dominum nostrum JESUM

Christum. Impetra cordi & ori meo verba nectareæ charitatis: tu, quæ ex ore Jesu mel & lac suscepisti; fac, ut, una tecum, ipsi soli, soli, soli servem fidem; ipsi soli me o â totâ, totâ devotione commitam. Ille, qui tibi ostendit, & promisit thesauros incomparabiles, det mihi è thesauris suis aurum puri, veri, solidi amoris sui. Illius amor me doceat amare tecum Deum; etiam in tristibus & adversis. Ita fiet, ut me in æternitate induat vestimento salutis, & indumento lætitiæ circumdet, qui me hic tot adversis, at simul igne sui amoris, circumdedit. Serviant cor meum, oculi mei, sensus mei omnes tecum illi, cui Angeli serviunt: illum tecum, inter adversa quoque, confitear labiis; illum corde, illum totis, totis, totis viribus concupiscam. Amem tecum, amore pulchræ dilectionis, etiam in hoc mundo, id est, in hoc turpitudinis loco, illum, cujus pulchritudinem sol & luna mirantur; usque dum eum amem in loco pulchritudinis infinitæ. Habeo & ego meum custodem corporis mei, Angelum Domini, impetra mihi, ut ejus magisteriis ac disciplinæ me tradam contra angelos tenebrarum. Fac, ut amem Deum indies magis & magis hic, ut tantò magis eum amem tecum ibi, ubi, quod concupivisti, jam à tot sæculis vides, & videbis æternùm; quod sperasti, jam tenes: & ita jungatur anima mea in cœlis illi, quem in terris posita, tecum, totâ devotione dilexit.

S. Flaviane M.

S. Valeri Ep.

S. Thyrse, qui membratim discerptus, à fervente aqua, feris, serra, nil læsus, è mari à choro splendi-

dorum

ſtidorum virorum exemptus, tandem ante mortem ſic orâſti: *Domine JESU Chriſte, benedictum nomen tuum in omni ſeculorum æternitate, qui me indignum famulum tuum tuâ hæreditate, & choro eorum, qui tibi placuerunt, dignatus es! Et nunc, Domine, accipe animam meam.*

S. Callinice Martyr.

S. Leuci, in cœlos cœleſti voce evocate Martyr.

S. Æmiliane Ep. M. qui lac pro ſanguine fudiſti per vulnera; & ibidem arbores, repentè floridæ, fructus inexſpectatos dedêre.

S. Juliane Ep. qui moriens vidiſti ad te venientem Dei Matrem, ſerto è roſis redimitam, Virginibus comitatam, Angelorum choro hæc accinente: *Ecce Sacerdos magnus, qui in diebus ſuis placuit Deo!* Tum à Deipara, palmam tibi porrigente, hæc audiſti: *Accipe palmam hanc, virginitatis ac puritatis argumentum.*

S. Joannes Abba Reoamenſis, qui collapſam religioſam diſciplinam, verbo & exemplo reſtaurâſti; necato, precibus ad Deum fuſis, horrendo ſerpente, ſalubres aquas puteo reddidiſti; venienti, ad te videndum, optimæ matri tuæ, te, tranſiens tantùm ſpectandum dediſti, eam ne verbo quidem allocutus; furem ad te orando pertraxiſti; ac furtum fateri coegiſti: in caſtro, *ſinè muro* dicto, illecebras impudicæ fœminæ, nobili fugâ viciſti: à quo, tunc adhuc vivo, ſibi per quietem conſpecto, ſe objurgatũ faſſus eſt blaſphemus quidam homo agreſtis, cujus epiſtolam qui conſpuerat, in pœnam, per novem annos, in os illud nec Euchariſtiam, nec panis quicquam potuit admittere, tenuiſſimo tantùm liquore

gustato, Aliàs item tuæ epistolæ proculcatæ supplicium fuit, ut is, qui eā proculcârat, repentè densis tenebris involutus torqueretur, tanquam sudibus præacutis circumdatus, donec veniam precatus, id, quod à te pro miserabili quodam petebatur, concederet, qui lætum Diaconum, pestilenti lue ictum, aquâ, cui benedixeras, ei propinatâ sanâsti; mendicum pigrum, impresso ejus pectori signo Crucis, laboriosum, & locupletem fecisti: frumentum, egenis destinatum, orando multiplicâsti: cujus in Vita hoc est sanctum & vetus elogium, quòd *ignitus illius amore, de quo Dominus ait: Ignem veni mittere in terram? hoc verbum semper in corde ac ore volvens, familiare habueris: Concupivit anima mea desiderare justificationes tuas. Dilexi mandata tua super aurum & topazion!* cujus prima è B. Macario regula, erat *amor* Dei, qui hoc die, anno ætatis centesimo & vigesimo, felix ad dilectum Deum abiisti, nulla senectutis damna sentiens in dentibus, oculis, memoriâ, sed vegetus, qui mortuus, corpus tuum à tuis transferri, non nisi præmisso jejunio, permisisti, qui denique Theuberto, excisâ jā pridem linguâ muto, linguæ usum restituisti, cùm, pridie tui festi, ære Campano populum ad festum invitaret! dicente illo posteà, *igniculum quendam, instar ardentis stellæ, è tuo sepulchro prodeuntem. claustrum sui oris ictu validissimo perculisse* Signa pectus meum, & imple *ignito ignis illius amore*, quem Jesus venit mittere in terram, da, ut unicâ, divini amoris regulâ & amussi metiar, quicquid ago, reple os meum, & actu validissimo penetra *ille igniculo*, qui cor tuum, os tuum, tuam animam occupavit.

B. Mar-

B. Margarita V. Belæ Regis Hungariæ filia, jejuniis, aliisque teneræ carnis afflictationibus divinæ Matris cultu, ac miraculis, inclyta, exemplar nobilitatis sanctæ.

s. Leonides, & socii Mm.

Omnes sancti Martyres in templo interempti.

s. Cyrille doctissime Ep.

s. Joannes Presbyter vir Dei.

Omnes Sancti, &c. *pag.* 40.

S. *MARIA, quæ* Margaritam *regiam Virginem Ungaram, hodie morientem, Sanctorum & Angelorum choru comitata, visitâsti, ejusque capiti coronam imposuisti, visa eandem coronatam in cœlum per scalam præcedere. Impetra mihi, Domina, ut te imiter, ut te sequar, vivens, & moriens, usque in cœlum!*

29. Januar. 4. Kal. Feb.

S. Constantine Episc. M. qui per aquam ferventis balnei, & per ignem, victor transisti, curatus ab Angelis. Duo, qui post mortem irridebant, ridendo lumen oculorum amiserunt, & flendo receperunt, pœnitentiâ ducti; cujus corpus, divino monitu perquisitum, choris Angelorum circumseptum, est repertum. Adesto & mihi, unà cum Angelis tuis, ut per ignem, & aquam, victor, vivens, & moriens, illuc abeam, ubi unà tecum, & cum *A*ngelis cantem Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto æternùm! *A*men.

Sancti Papia, & Maure, milites, ora lapidibus contusi, & plumbatis ad mortem usque percussi.

s. Constanti Ep. & socii MM.

S. Juliane, dicte Hoſpitator, à quo calefactus in lectulo pauper, ſplendenti habitu in cælum aſcendens, ſe ad te miſſum dixit, ut tuum tibi peccatum dimiſſum eſſe nuntiaret.

S. Petre Nolaſce, qui Angelos, divinum Officium canentes, audiſti; ac Dei Matrem, tui cœnobii cubicula viſentem, & tuos, etiam dormientes, protegentem, vidiſti; quæ tibi aliàs dixit: *Fili mi ne dubites de paupertate; quia te non deſeram. Studeas, & ſervias Filio meo, ac mihi,* cui ad concionem dicturo, cùm raucus eſſes, eadem vocem à Deo impetravit, morientemque defendit.

Sancti Sarbeli, & Barbea frater, & ſoror, *Martyres.*

S. Sabiniane decollate M.

S. Aquiline, gladio in gutture tranſverberate *M.* advocate feliciſſime contra peſtem.

B. Valeri Ep. cui apparens s. Eucherius, tempus eſſe reſolutionis tuæ, & cæleſtis regni tibi januam reſeratam eſſe, eamque te gratulabundum ingreſſurum, & maternum, ante mortis horam, à te mortuo, viſitandum, dixit.

S. Sulpiti Severe Ep. s. Martini diſcipule.

S. Petre Thomaſi Patriarcha Conſtantinopolitane.

S. Franciſce de Sales Ep. cæco nato illuminato, contractis, ac aliis perſanatis, duobus mortuis ſuſcitatis, admirabilis, & ſpiritu teneræ ac ſolidæ pietatis amabilis; illumina me, ſana me, ſuſcita me, inflamma me. s. Franciſce, qui dicebas; idcircò majus bonum præ alio eligendum eſſe, non quia majoris præmii eſt, ſed quia magis gratum eſt Deo:

neque

neque nos meliùs satisfacere pro peccatis, quàm dum faciamus, quod placet Deo: & comedendo ac bibendo, quia Deus ita vult, magis nos Deo placere, quàm alio quolibet opere; aliâ de causâ suscepto; quicquid non fit pro æternitate, plenum esse putidâ vanitate, qui post mortem, Novitiæ, Lugduni ægræ atque depositæ, in mitra & cultu splendido, inter duos è cœlo adolescentes, ardentibus facibus instructos, te spectabilem præbens, dixisti: *Confide filia. Pete tibi cor meum huc afferri, & illicò convalesces*, id quod factum est. Accende cor meum facibus Seraphinorum, & igne cordis tui; ut amem amore actuoso, tenero, immortali, conde in corde meo, quicquid de divino amore scripsisti, dixisti, cogitâsti.

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 40.

S. MARIA, *quæ* S. Petro Nolasco *mirabilem tuam imaginem dedisti*; *à* S. Petro Thomasio *moriente dæmones fugâsti. Fuga illos à me; & quicquid me potest juvare, ad sanctè amandum, & imitandum te, impetra illud mihi!*

30. *Januar.* 3. *Kal. Feb.*

S. Martina Virgo, quæ effusâ in egenos opulenta hæreditate, sæpiùs verberibus, uncis, ungulis, testulis, gladiis, ferventi adipe excarnificata, à bestiis, & igne illæsa, tortorum quosdam ad cælum martyres præmisisti. tuis precibus terræ motus, ignes è cælo, templorum ruinas impetrasti. E tuis vulneribus lac, & sanguis, odor, ac splendor erupit; & ipsa sublimis, regia in sede, divinis laudibus, unà cum

Cælitibus, visa es interesse; ac dum caput gladio & cælo dares vox, cælestis audita est, quâ invitaberis ad cælum. Ora, & invitari me fac illuc, ubi est ut tremenda illa mortis hora sit mihi æternæ beatitatis; ac throni cælestis principium, Amen.

S. Andrea Corsine, pœnitentiæ athletha magne Episc.

S. Aldegundis Virgo, cui calumniam quandam passæ, cælestem sedem promisit Angelus; detractoribus, invidis, & otiosis æternum supplicium comminatus: quæ S. Amandum Episcopum, cum iis quos converterat, ad cælum ascendentem vidisti: quam fassus est dæmon, à se siti vexatam: quæ à S. Petro panem canditum accepisti, quam S. Waldetrudis, tua soror, à Beatissima Virgine, ac Sanctorum agminibus, ad cælum duci vidit, quando à Sponso Jesu, & palmâ, & nuptiali è cælo veste, donata, superato fœdissimi aspectûs dæmone, à S. Petro manna pro viatico moriens accepisti, & inter splendores cælestes abiisti in cælum.

B. Hippolyte Presb. qui pro Christo jugulum dedisti.

Sancti Feliciane, Philappiane, & alii centum viginti quatuor MM.

S. Barsimæe Ep. M.

S. Felix Papa.

S. Barsen Ep. gratiâ curationum illustris, pro Christo exul.

S. Armentari Episc.

S. Alexander, senex, tormentis immortue.

S. Mathia Ep, admirabilis.

S. Saviana, quæ Ss. Naboris, & Felicis corpora

Medio-

Mediolanum vehens, per iter interrogantibus, quid in curru haberes? *Mel* respondisti: & milites ibi verè *mel* reperêre, atque gustavêre, ad Christum eo miraculo postea conversi: quæ ad eorundem Sanctorum corpora orans expirasti.

s. Peregrine, cui negatus per mendacium panis pro eleëmosyna, in saxum est versus; qui immanem draconem, cui præstituto tempore puer unus dabatur devorandus, in antrum pepulisti, atque ita ibi reclusisti, ut nunquam prodierit.

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 40.

s. MARIA, *quæ* s. Aldegundi *Virgini, ut à te, quicquid vellet, peteret, nuntiâsti; & eandem à morte. unà cum Ss. Petro & Paulo, ad cœlum deducere es conspecta. Hoc peto à te, ut illud procures mihi à Deo, quod mihi maximè necessarium est, ut ad cælum deducas ne me præcipitem!*

31. *Januar. Prid. Kal. Feb.*

S. Marcella Romana, viduarum exemplar, quæ fustibus ac flagellis cæsa gratias ajebas, posteà verò plena virtutum, lacrymarum, solatiorum cælestium, integro vegetoque corpore animam dedisti Christo; è nobilissima, & ditissima, facta pro eodem pauperrima. Ora pro me, ut tempestivè relinquam, quicquid mihi morienti molestum esse potest, omniaque, ac singula ita agam, quasi in ipso opere moriturus. Amen.

Sancti Cyre, & Joannes, capite truncati, MM.

s. Athanasia cum tribus filiabus MM.

s. Metrane M. qui cùm nolles impia verba proferre,

ferre, fustibus collisus, vultum,& oculos præacutis calamis terebratus, lapidibus oppressus es.

Ss. Saturnine, Thyrse, & Victor Mm.

Ss. Tharsici, Zotice, Cyriace, & socii Martyres.

s. Vigili Episc. qui gratias agens, pro Christo lapidatus es.

s. Tryphæna M. à tauro necata.

s. Juli Presbyter, qui digitum amputatum, signo Crucis restituisti; & maximis pro Christo itineribus exantlatis, centum Ecclesias divinæ gloriæ erexisti.

s. Aidane, stellæ, ac lunæ, in matris os illabi visæ, specie ostense patri, & matri: à quo plantatæ infructuosæ arbores fructum protulére; ad cujus preces Angeli templum ædificare visi, ab opere cessavêre, ob curiositatem illius, qui eò introspexerat, te id vetante.

s. Geminiane Episc. dæmonum terror, qui voce de cælo factâ terras cum cælo commutâsti; cujus exequiis, absens licèt, s. Severus Ep. per quietem interfuisse sibi est visus.

s. Marce Evangelista, Venetias translate.

OMNES SANCTI, &c. pag. 40.

S. Maria, *qua hodie* Theophilo *pœnitenti, post quadraginta dierum preces, & jejunia, quod dæmoni dederat chirographum, super pectus collocâsti. Domina, impetra mihi verum spiritum obedientiæ; ut mortis meæ chirographum suo sanguine deleat Filius tuus, Dominus meus* Jesus.

ANNI CÆLESTIS FEBRUARIUS.

I. *Februarii. Kalendis Februarii.*

S. Ignati Episc. M. cui sæpe in suspiriis fuit illud: *Amor meus crucifixus est! Nunc incipio Christi esse discipulus!* s. Ignati, in cujus corde particulatim dissecto, in singulis particulis JESU nomen aureis literis inscriptum, repertum fertur: qui dicebas, te *frumentum Christi* esse, non esse in te *ignem amantem mundanæ materiæ*, sed aquam vivam, in te loquentem, & intùs tibi dicentem: *Veni ad Patrem.* Ah! divine Vir! sanctum illud nomen inscribe & mihi. Nunc, ô nunc, incipiam esse Christi discipulus. Imple os meum ignitis illis amoris mei, pro me crucifixi, jaculis; constanter assuescam, elevato ad JESUM, & *MARIAM* corde, ignea hæc jacula in cœlum pleno affectu evibrare. Tu, qui ad *MARIAM* scripsisti epistolam, commenda me illi nunc coram: ut vitâ meâ, morte meâ, æternitate meâ JESUM, & MARIAM laudem, amem æternùm. Amen.

s. Cæcili Episc. cui Christus auditum & linguæ usum restituit.

s. Agrippane Episc. M. cujus caput abscissum, cùm è monte devolveretur, fontem ægris salutarem elicuit.

s. Pioni M. pro Christo clavis confixe, rogo imposite,

posite, cujus ipsum etiam cadaver apparuit gloriosum.

Sancti quindecim ejusdem socii Mm.

s. Severe Episc. signo columbæ electe, qui s. Geminiano Episcopo morienti, divinitùs ad illum abreptus, adfuisti; & posteà Sacramentis ad mortem munitus, tuo te tumulo ultrò imposuisti, ibi expirâsti.

s. Paule Episc. cujus pretiosa mors miraculis est commendata.

s. Brigida Virgo, ab Angelis visitata, cujus caput globo radians visum; cujus pascua vesperi depasta, semper malè virent herbâ recenti; cujus liber, Angelo pictori figuras monstrante, admirabili arte scriptus, & pictus est: quæ lignum tangens, illud semper viride reddidisti, thaumaturga dicta, ob miracula multa & magna: quæ mensæ assidentem ingentis capitis dæmonem cuidam ostendisti; qui dæmon à te interrogatus, cur eò venisset? respondit; se apud eam, quacum erat, virginem locum habere, ob ejus pigritiam, eumque pigræ illi, à qua fovebatur, ostendisti, atque fugâsti: quæ cælesti musicâ quotidie recreata, hospitalitatis exhibendæ gratiâ, cùm hospitibus, quod apponeres, non haberes, urticas in butyrum, arborum cortices in laridum convertisti. Pelle à me teporem, atque desidiam. Cujus precibus alia, ab igne fœdo liberata, in igne stetit, & à te audivit fore, ut à turpi amoris, & ab æterno inferni igne sit libera, quæ denique mortem die, quam prævideras, sanctè obiisti, miraculis plena.

s. Tryphon, qui, patratis miraculis, mira perpessus,

sus, gratias semper agens, etiam omnibus, qui tui memoriam sacrificiorum oblatione agerent, à Deo copiosa beneficia petens, animam Deo prius, quam gladio percutereris, tradidisti.

S. Joannes de Craticula, Episcope admirande.

S. Verdiana V. quæ palmæ benedictæ ramo cæcum illuminâsti: à duodecimo ætatis anno cilicio cooperta, post mortem genibus flexis velut orans, odoribus fragrans, reperta es: doce me orare.

S. Sigeberte Rex pacifice, post mortem, quingentis septuaginta duobus annis, integer.

S. Urse, qui crudeli in servum Domino mortem pessimam ex vero prædixisti: cui morienti Angeli, te suscipientes, Martyres triumphantis, Confessores exultantes, Virgines lampades accendentes, occurrunt.

S. Galla V. à qua, de occulto carnis flagitio, commonitus Diaconus, cùm contemneret, igneâ è cælo lanceâ consumptus interiit; quam impuritatis accusans mendax calumniator, à dæmone statim correptus est.

S. Ephræm Syre, qui per quietem vidisti juxta linguam tibi enasci vitem, in orbem expansam, cui volucres insiderent: cui ab Angelis datum est volumen, intùs forisque conscriptum: qui per os S. Basilii, sacros libros legentis, linguam igneam loquentem vidisti; & Græcè loquendi gratiam impetrâsti.

S. Severe, è lanifice, columbæ, tertiò tibi insidentis, indicio, Episcope; miraculis & doctrina infusâ clare: qui morte imminente, patens ultro, S. Vincentiæ uxoris tuæ, & S. Innocentiæ filiæ tuæ, sepul-

ſepulchrum ingreſſus, iſtic animam reddidiſti; & tumulus clauſus eſt iterùm ſuâ ſponte.

S. Petre, qui in ſepulchro degens, alternis tantùm diebus, panis aliquid & frigidæ, in cibum & potum admiſiſti; & energumenum, quem è fonte bibentem dæmon invaſerat, liberâſti.

OMNES SANCTI, &c. *pag* 40.

S. MARIA, cujus imago Tungrenſis hodie ab Angelis in horto eſt collocata, & cæleſti odore, luce, muſicâ honorata. O ſim ego hortus tuus! Fac, ut diſcam ab Angelis honorare te!

2. *Feb.* 4. *Nonas Feb.*

O Puriſſima Domina mea, dulciſſimum amariſſimi agonis ſolatium! Da mihi JEſum morienti, Domina, & dimitte, cum Simeone, me ſervum tuum, in æterna pace. Habebo moriens in manu cereum; purifica me! Non recuſo purgatorii horrendos ignes, longum illum diē purificationis meæ. Mallem tamen illos Dei amore, quàm pro pœna culparum, pati. Domina mea, illumina me! accende me! *purifica* me! aufer me: & da me illi, ac illum mihi, quem in Simeonis brachiis depoſuiſti; ut doceat me amare, ac mori. Domine JESU, rogo te per æternum Patrem tuum, cui hodie oblatus es; per te ipſum, qui oblatus es, per Spiritum ſanctum tuum, cujus inſtinctu oblatus es; per puriſſimam Virginem Matrem tuam, ac Joſephum tuum, à quibus oblatus es; fac, ut ego, ac omnes, tuo, ac divinæ Matris tuæ, amore addicti, ſimus candelæ tuæ, quas tu (id quod hodie petit Eccleſia)

lumi-

lumine supernæ benedictionis accendere digneris : ut corda nostra invisibili igne, id est, sancti Spiritûs splendore illustrata, omni vitiorum cæcitate careant : ut purgato mentis oculo, ea cernere possimus, ac exequi velimus, *quæ tibi sunt placita* ; & omnia quæ agimus, agamus, *sancto igne dulcissimæ charitatis tuæ accensi*; usque dum amemus te ibi, ubi tu *benedictus in templo sancto gloriæ tuæ, super sceptrum divinitatis tuæ, sedes super Cherubin*, in medio Seraphinorum, amore tuo ardentium. O ignee Seraphinorum Rex JESU, mitte illos, mitte, ut omnia tui amoris impedimenta exurant, ac tollent è corde meo; ac illud, & labia mea, vivis amoris tui carbonibus purgent, ad obsequia purificatæ hodie Reginæ Virginis Matris tuæ. Sim ego sim candidus vester cereus; consumar, absumar amore vestri ardens & lucens, usque dum hic felici vos amantium morte extinctus, immortaliter apud vos ardeam igne illo, cujus flammæ sunt linguæ amoris Dei. Respice, Domine, parvule mi JESU, respice, accende me ac mea omnia, illis tuis oculis, quos tanquam *flammam ignis* vidit posteà Joannes tuus. illi *tui ignei oculi* faciant *me* alis flammeis *avolare* illuc, ubi est gymnasium amoris tui æterni, ad quod evocare soles dilectos Virginis *Matris* tuæ.

S. MARIA, ad cujus festum hodiernum pulsari audiens S. Gertrudis, dixit : *Ecce cor meum, & anima mea salutant te amantissimum Dominum meum in sonitu istius signi*, quo prænuntiatur festum Purificationis tuæ sanctissimæ Matris. Et JESUS tunc illi respondit : Et omnia viscera pietatis meæ pulsant pro te ad januam divinæ misericordiæ meæ obti-

obtinendo tibi remissionem omnium peccatorum: eamque *delectamentum animæ suæ*, sive suas delicias vocans, dixit; se illam pro hoc festo præparaturum modo præstantissimo, ac Deo gratissimo. Doceri verò petentem, quis modus illi maximè placeret, in cordis thalamo exornando? respondit: Expande cor tuum, sicut olim aperiebantur tabulæ deauratæ in templis; & fac me videre imagines depictas in eo, quibus delectatur anima mea. O Domina, fac, ut divinus amor auro ignito pingat in corde meo imagines, sive cogitationes, quæ delectent cor Filii tui Jesu.; Tu es illa, cui hoc die, pro singulis clientib⁹ tuis supplici, eâdem Sanctâ vidente, dixit Jesus, tibi fieri potestatem, omnia, quæcunque velis, impetrandi. Impetra hoc mihi, & satis est.

S. Maria, quæ hoc die S. Mechtildi adfuisti cum puero tuo Jesu, veste aureis floribus pretiosa induto, laudes illius cantans voce mirabili, etiam Seraphinis, Cherubinis, ac singulis Angelorum choris canentibus; Gabriele autem aureum sceptrum gerente, cum aureis, Salutationis tuæ verbis, auro inscriptis. Fac, ut discam salutare te à Seraphinis.

S. Simeon, qui hoc die S. Mechtildi, petenti sibi per te impetrari desiderium moriendi, respondisti: *Melius, & perfectius est, ut Dei voluntatem tuam des! & velis, quicquid ipse voluerit.* Per dilectum cordis tui, in sinu tuo, Jesum: te rogo, impetra cordi meo amorem Dei, qui voluntatem meam divinæ voluntatis ancillam reddat.

S. Francisca Romana, quæ in dulcissimo hujus diei mysterio vidisti Archangelum tuum, JESU parvulo selectissimarum rosarum fasciculum offerentem,

nentem; qui in manu parvuli, mox in pretiosas varii coloris gemmas conversus est. Quicquid cogito, dico, ago, depone, cum Archangelo tuo, in manibus Dei Jesu; ut infinitè pretiosis ejus meritis conjuncta, delectent cor Dei. Amen.

S. Aproniane, qui vocem in carcere cœlestem audisti; *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est à constitutione mundi*, & statim aqua, ac sanguine tuo baptizatus, *regnum æternum* percepisti.

Sancti Fortunate, Feliciane, Firme, & Candide, Martyres.

S. Corneli Centurio, à S. Petro baptizate, qui vocem divinitus missam è cœlo audisti, *Corneli, veni ad me: ecce enim tibi parata corona justitiæ*. Cujus sepulchrum rubo, repente subnato, contectum est: qui pictori, tuam imaginem pingere jusso, & de te minùs honoratè loquenti, ac ideò è scalis prolapso, vermesque ore vomenti, apparuisti, eum increpuisti, persanasti; & ab illo ita, ut eras, ex vero depictus es: qui à morte gloriosus apparuisti; cujus tumba, divina vi, ad templum, ad aram usque delata est.

S Floscule Ep.

S. Laurenti Archiep. à Petro flagellis cæse, quòd Britanniam deserere cogitares: qui per mare sicco pede ambulasti; mortuum resuscitasti; ad cujus templum fœminis non patet accessus.

S. Hadeloga Virgo regia, de cujus malè accusatæ virginitate, verum testimonium dixit Clericus, vita jam functus Carolo Martello patri tuo conspectus

ſpectus; ſimulque prædixit, eum illo anno moriturum, & Pipinum, ejus filium, regnaturum; id quod evenit: quæ ſanctimoniali tentatæ, per quietem conſpecta, dixiſti: *Soror chariſſima ecce venit Chriſtus! præpara te in occurſum ejus*; & ſimul omnes in omnem vitam fœdas cogitationes ex ejus mente abſterſiſti: quæ Virginem ſanctimonialem aliam, diſciplinæ ac modeſtiæ parùm addictam, & ſurdam admonita, ad ſepulchrum tuum ei obvia alapâ percuſſiſti, ac modeſtam reddidiſti: pauperi cuidam, tui cœnobii eleemoſynis ſuſtentato, ſed ad preces negligenti, apparuiſti, eumq; corripuiſti de negligentia in orando; doce cor meum orare.

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 40.

S. MARIA, cujus hodiernum Purificationis *feſtum, anno* 544. *ex revelatione inſtitutum, peſtem extinxit. Purifica me! Extingue in me id, quod poteſt eſſe peſtis animæ meæ!*

3, Feb. 3. Nonas Feb.

S. Blaſi Ep. ad quem concurrentes feræ, à te ſanabantur: qui puerum, cujus gutturi ſpina piſcis infixa hæſerat, perſanaſti, cui pro iis, qui te invocarent, oranti, reſpondit Chriſtus; ſe omnia à te petita facturum. Cujus ferreo pectine lacerati, & ſudibus contuſi, ſacrum ſanguinem dum legerent matronæ ſeptem, percuſſæ ab ethnicis, lac per vulnera profudêre. Tu, qui calcaris aquis, Angelum vidiſti, & audiſti hortantem, ut egredereris, paratam à Deo juſtitiæ coronam accepturus; ac tandem, totus cæleſti luce refulgens, unà cum duobus pueris, lætus

gladium

gladium jugulo excepisti. S. Blasi, sanctæ matronæ, sancti parvuli, orate, ut felix hinc ad coronam, non ad pœnam, egrediar; & intrem in gaudium Domini vestri, ac mei. Amen.

S. Celerine Diacone, carcere, nervo ferro, pœnisque aliis gloriose.

S. Laurentine, s. Celerini patrue; S. Ignati, ejusdem avuncule; S. Celerina, ejusdem avia, omnes MM.

Sancti Felix, Symphroni, Hyppolyte, & socii MM.

S. Joannes misericors Archiep. cujus precibus stannum in argentum, mel in aurum, mutatum est, cui mansio, & quies æterna in cælo parata, ostensa cuidam est.

S. Blasi, ex armentario Martyr, nervis cæse, in aquæ bullientis lebete, Angelorum ope illæse, è cujus, pro Christo morientis, ore, candida, & splendens columba evolare conspecta est; baculus verò tuus juxta altare germinavit.

S. Laurenti Ep. qui portas à Spoletinis tibi clausas, precibus apperuisti, &, ob cælestem lucem, corporibus, mentibusque allatam, *illuminator* es appellatus.

S. Hadeline, à S. Remaclo è cœlo de morte admonite: quem dormientem Angelus à Solis radiis umbrà defendit: qui baculo humi defixo fontem elicuisti, & mutæ linguæ vincula solvisti; cui donatum à se fundum dato tibi chirographo, mortua fœmina testata est.

S. Berlendis V. quæ noctu audivisti cantus Angelorum, animam patris tui ad cælum portantium: cui

cui piſcis in carnem, aqua in vinum eſt verſa; cujus tumulus, è ligneo dicitur divinitùs lapideus factus eſſe.

S. Wereburga Virgo regia, quæ ſilveſtres anſeres obedientes habuiſti.

sancti Tigrides, & Remedi, Epiſcopi.

sancti Lupicine, & Felix, Epiſcopi.

S. Anſchari Ep. Suecorum, & Danorum Apoſtole; qui Friſios, ob diei Dominicæ labores, igne cæleſti mulctaſti: qui matrem tuam vidiſti in Sanctorum corona ornatam, cum Beatiſſima Virgine Matre, tibi dicente: *Fili, vis ad matrem tuam venire? Si noſtræ voluntatis particeps eſſe velis; omnem debes vanitatem fugere, & jocos pueriles dimittere, ac temetipſum in gravitate vitæ cuſtodire. Valdè enim deteſtamur, quæ vana & otioſa ſunt; nec poteſt in noſtro conventu eſſe, quicunque his fuerit delectatus.* Atque ita mores, ſocioſque diſſolutos mutaſti, ſed poſtea in religioſæ vitæ ſtudio factus remiſſior, viſus es tibi, in agone ſupremo S. Petrum, S. Joannem, ac Sanctorum omnium choros: Deum laudantes, audire; atque ita ad virtutis calorem priſtinum rediiſti: aliàs verò, à conſpecto tibi per quietem Chriſto, videbaris tibi generalem de tota vita confeſſionem exequi, atque à Chriſto abſolvi. Impetra mihi, ut ſequar conſilium, tibi à Dei Matre datum: excute à me torporem omnem; ut ardeam ad obſequia Dei mei, infinitè boni.

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 40.

S. MARIA *quæ*, *S.* Simeoni, *hodie à Græcis culto, IESUM, parvulum in ſinum dediſti, Doce me in Euchariſtia* JESUM *tuum ita tractare*, *ut talis ab æterni*

Patris

Patris, & talis in tempore Matris, Filium tractari à me servo decet!

S. Maria, *quæ* S. Anschario, *tunc parvulo, velut Mater conspecta, eum cum pueris ludentem coarguisti, & seria sapere docuisti. Argue & me, ac doce, ut seriò sapiam æterna!*

4. Feb. Pridie Nonas Feb.

I

S Remberte Archiep. cui Sacerdos olim defunctus, dixit, se cruciari, quòd salutis suæ negligens, parùm gravis, sæpé otiosus, cibo & potioni deditus fuisset in vita; liberandum se tamen, si pro eo, per dies quadraginta, jejunares, pane, sale, aquâ contentus. Id, quod tu fecisti; & posteà ille liber, gratias tibi per alium egit, ac tibi præparatam cælestem gloriam revelavit: qui, in morbo extremo, sacrâ synaxi quotidie es refectus. Ora, ut caveam periculosam illam indulgentiam in rebus salutis meæ: doce me jejunare, orare, animas è purgatorio liberare, sacræ mensæ, velut pro viatico, sanctè accumbere. Amen.

S. Veronica, seu Berenice, quæ Christi Crucem bajulantis, faciem sanguine ac sudore florentem, velo tuo abstersisti, cui velo imaginem sui vultûs Christus impressit.

S. Joannes Irenopolitane in Cilicia Ep. qui unus è Patribus Concilio Nicæno pro fide Catholica adfuisti, Ariumque damnasti.

S. Aventine, in pauperes liberalis; quo ministrante, vinum non deficiebat, licèt continuò à te hauriretur; alio verò ministrante, brevi defecit: qui

ursum

ursum curasti, cervum hospitio & asylo recepisti, aves familiari manu tractasti: equitem effuso cursu currentem,& dæmonem cum illo unà sedentem ut eum præcipitem ageret,videns,& pro illo orans, illum à dæmone,ac periculo liberasti.

S. Aventine Ep. qui patris ac matris tuæ mortem ab Angelo didicisti, Joannem fratrem tuum à lepra curasti in rupe inter serpentes habitasti:cujus puritati laqueum parabat fœminæ plorantis, & se à prædonibus spoliatam mentitæ, ac tectum à te cibumque petentis, specie tectus dæmon; cui, tu, cùm sub dio cibum,Cruce signatum ,præberes, ille victus evanuit: qui precibus, & signo Crucis, fontem elicuisti, pestem sedâsti; è cujus morientis ore columba candida in cœlum evolare conspecta est.

S. Theophile, pœnitens *MARIANE*, qui dæmoni mancipatus, resipiscens in templo B. V. per dies quadraginta orâsti,& jejunâsti; cui illa apparuit, teque acriter de scelere coarguit, ac demum dixit: *Ego rogabo pro te, & suscipiet te Filius meus*; qui experrectus chirographum, quo te dæmoni obligâras,super pectus reperisti,& combussisti;cujus facies, Eucharistiâ sumptâ, solis instar resplenduit; atque in eodem loco, in quo Dei Matrem videras, è vita migrasti.

S. Gemmule *M.* qui truncatum tuum caput cervici iterùm imposuisti, atque ita ad Episcopum, tuum patruum, appulisti.

S.Gilberte,qui monialem asperè arguens,à turpi æstu liberasti; monachum, iræ impotentem, levi ictu mansuetum reddidisti; cæcus piè flentium lacrymas

crymas

crymas vidisti: de quo mortuo mortuus quidam dixit; te esse in loco excelso in cælo.

S. Obiti, miles nobilis, qui posteaquam infernum, & animas, eò, instar densæ nivis, descendentes vidisti, vitæ reliquum tempus in severà corporis afflictatione duxisti, miraculis quoque clarus.

B. Joanna Regina, quæ, à Christo & Deipara, ad epulas invitata, apposita tibi illis duo corda vidisti; & jussa es tuum quoque apponere: conjunge illis cor meum,

s. Eutychi M.

s. Isidore Pelusiota.

Ss. Aquiline, Gemine, Gelasi, Magne, Donate, MM.

s. Ancirarde à quo orante Angelus dæmones fugavit.

BB. Philæa Ep. & Philorome tribune, *MM.* datis cervicibus gloriosi.

Omnes Sancti cum his martyrio coronati,

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 40.

s. MARIA, *cujus* festum decem præcipuarum virtutum, *corde ore, opere, ut Leo* X. *loquitur, imitandarum hodie celebratur. Domina, impetra mihi, ùt te amem tibi gratissimâ imitatione!*

s. M*ARIA*, *quæ cum* Christiano, *hodie mortuo, religioso cliente tuo, Horas Canonicas (Christo quoque adjuvante) recitâsti, eidemque, una cum Christo septem ultimis ejus vitæ diebus, adfuisti. Doce me orare, adesto mihi nunc oranti, & deinde morienti, unà cum* Jesu!

5. *Feb. Nonis Feb.*

SAncti Paule, Joannes, & Jacobe, crucifixi socii Jesu, cùm aliis pluribus; orate pro me, ut vivus & moriens, Christo confixus sim Cruci, obediens illi usque ad mortem, laudans illum etiam post mortem, in beata Crucis amicorum, ac discipulorum æternitate. Amen.

s. Agatha V. quæ variis, & horrendis tormentis vexata, & à s. Petro sanata, orationi es immortua; cui Angeli hoc epitaphium posuere: *Mens sancta, honor in Deum voluntarius, patriæ redemptio*; cujus velo, & meritis, Æternæ, ignem vomentis, furor repressus est; cujus patriam Fridericus II. Imp. delere volens, ei pepercit; eò quòd Officium B. Virginis ad orandum aperiens, in eo hæc verba aureis literis scripta repererit: *Noli offendere patriam Agathæ, quia ultrix injuriarum est.*

s. Theodula M. è capillis suspensa, subulis igneis, clavisque confixa, posteà combusta: quæ idolum flatu oris tui dirupisti.

s. Berthulphe, quæ sub dio equos custodiens, noctu, ad lucem è cœlo effusam, pium librum legisti, & contra imbrem ab aquila es protectus; doce me sancta sanctè legere: qui è feretro tuo, pulsu edito significas, si qua populo clades immineat.

S. Vodale, qui per Angelum à febri quartana liberatus, ab eodem certior factus es; te contra quartanam, singularem apud Deum vim pro tuis clientibus, obtenturum: qui vestam scissam, signo Crucis redintegrasti, & post mortem servo tuo te flenti,

appa-

apparuisti, ac mortem illi ex vero prædicens. *Veni mecum*, dixisti. Fac, ut feliciter eam per itinera æternitatis.

B. Domitiane Dux, qui Millestadii in Carinthia, mille Deorum statuas evertisti, & ibidem templum, pro converso à te populo, unà cum Maria, sancta tuâ conjuge, exædificasti: cujus, ac Mariæ conjugis tuæ nomine benedictis panibus morbi fugantur. Everte in me, quicquid Deo displicet in me.

S. Adelheidis V. quæ illâ ipsâ, qua pius tuus pater moriebatur, hora, in aures tibi cani audisti: *Ecce quomodò moritur justus, & nemo percipit corde, Viri justi tolluntur.* Cujus mortuæ corpus vehens navis, adverso flumine ultrò ascendit, nullis remis aut velis adjuta, ad cujus sepulchrum sanati sunt ægri, & nobilis cujusdam pœnitentis vincula conciderunt. Disrumpe & mea vincula, si quæ me ligant.

s. Agatha Hildegardis, Palatina Carinthiæ, à viri tui fratre (qui à te scelus impetrare non poterat) apud virum de pudicitia accusata, ideoque de turri dejecta, sed illæsa, & cantu Angelico recreata, viro tuo repentè cæco, ac per septennium pœnitentiam agente, quam quæ adulterum accusarat, perjura ancilla, in saxum conversa est; & locum, in quem de turri excideras, enatæ è rupibus rosæ, ac lilia ornaverunt tempore alieno: quæ Dravum flumen sicco pede transivisti splendens; in obitu etiam cantu Angelico honorata.

Omnes Ss. Martyres in Ponto, plumbo liquente perfusi, acutis arundinibus in unguibus cruciati, aliaque horrenda, & varia, & sæpè passi.

s. Isidore, boum nervis cæse, qui ante mortem gratias Deo agers, omnibus, qui tui memoriam pie agerent, divini Numinis protectionem à Deo precatus es, post mortem etiam afflictorum præsidiũ.

s. Calamanda V. M. asilum præsentissimum afflictis, & patrona pro pluvia impetranda.

s. Martine Ungare. *Archiep.* Bracarensis. Sss. Trinitatis, contra Arianos, vindex, & cœnobiorum fundator sancte.

B. Avite Ep. doctrina, & zelo Catholico plene, sancti Genuine, & Albine Episcopi.

s. Gelasi puer, qui viso fratre tuo, inter orandum ab Angelis stipato, & audita Christi è cœlo voce: *Sinite parvulos venire ad me*, ad JESUM. sancta morte parvulus abiisti.

OMNES SANCTI [&c. *pag* 40.

S. MARIA, *è cujus Filii Societate crucifixi hodie Sancti* Joannes, Jacobus, & Paulus MM. *in ipso ultimo agone*, JESUM & MARIAM *pronuntiabant*; *&* Joannes *Rosarium suis, ultimum munus dedit.* O MARIA, *per* JESUM *te rogo, doce me benè pati, & benè mori!*

6. Feb. 8. Idus Feb.

S. Dorothea Virgo nobilis, formosa, sed casta, quæ eas, quib' pervertenda data es, convertisti, ac Martyres ante te præmisisti; quæ in jucundo passu, ridens, & læta, ibas ad gladium, post tormenta: Theophilo Scholastico, cum risu petenti, ut è Sponsi tui viridariis, in Februario, recentes rosas, flores, poma mitteres; misisti per Angelrum, & Theophilum

lum Martyrem effecisti. Sancta Virgo, ora, ut per spinas vitæ hujus penetrem ad æterna illa viridaria Sponsi tui; ubi tecum sim æternum Theophilus, Dei amans, in Paradiso Dei. Amen.

Sancti Saturnine, Theophile, & Revocata, MM.

s. Silvane Ep. & soccii duo MM. à feris membratim discerpti.

s. Antholiane M.

s. Vedaste Ep. qui Chlodoveum Regem baptizâsti; vinum à Deo, è vase vacuo, impetrasti: in Regis convivio, vasa maleficiis infecta, signo Crucis confregisti: qui visa columna, de tuo ad cælum transitu admonitus, post sancta suspiria, Eucharistico viatico munitus, Angelicâ exceptus melodiâ beatam Deo animam tradidisti: cui templum ab hominibus, Angelorum jussu, est conditum: in cujus translatione B. Audomarus cæcus, lumen recepit; & ut rursus cæcus fieret, impetravit: qui cuidam, morti vicino apparuisti, eumque sanans, hæc per eum alicui nuntiasti: *ut caveret, ne à benè cœptis aliquandò desisteret, aut ad ea, quæ non prosunt, diverteret*; alii, *ut ad exteriora se non effunderet, sed Ecclesiæ sese impenderet*; aliis *Dei gratiâ cariturum*; alii, *ut ea, quæ sunt* Ecclesiæ, *restitueret; sic cum ditiorem, & latiorem fore*; his, aliisque illi dictis, eum ex ægro sanum, è blæso rectè loquentem, fecisti; fac, ut benè prosequar benè cœpta.

S. Guarine Ep. Cardinalis, magne mortis meditator, qui noctu immenso splendente lumine, sub auroram Christi spiritum reddidisti, dæmone ipso clamante; *Hodie Præsul migravit ad cœlum, cujus precibus ego miser pellar*, & pulsus est.

s. Amande Ep. cui Romæ s. Petrus apparuit, & ut in Galliam, ad prædicandum, redires, jussit: aliàs quoque in navi periclitanti dixit; *Noli timere Amande, non peribis; neque qui tecum sunt*: & mox tempestas conquievit, cui Sigibertum, Dagoberti Regis filium infantem, baptizanti, cum nemo *Amen* diceret, infans ipse, *Amen* respondit. qui Religiosum inobedientem, eoque paralysi percussum, sanâsti: quem mortuũ à candidatis iis, quos verbo, & exemplo cælis lucratus es, deduci in cælum vidit Aldegundis Virgo.

s. Brynolphe Ep. ad cujus tumbam orans S. Birgitta, odoribus afflata est, & JESUM, ac MARIAM, de tuis reliquiis honorandis, colloquentes audivit.

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 40.

S. MARIA, *qua S. Birgirta, ad S.* Brinolphi *fragrans sepulchrum, oranti dixisti*: Hic Episcopus dum viveret, insigniter me honoravit, & honorem obsequiis firmavit. *Impetra mihi cor, te vere colentium; ut insigniter te honorem, & honorem non verbis tantùm, sed solidis quoque obsequiis!*

7. Feb. 7. Idus Feb.

S. Theodore Dux, draconis interfector, qui dum, aperto cœlo, eos, qui te igneis telis configerent, aspiceres, audisti: *Macte animo, Theodore! ego tibi adero.* Cruci deinde affixus, puerorum sagittis scopus factus in oculis, indè solutus ab Angelo, gladio cecidisti. Adesto mihi morienti, una cum Angelo tuo, ut inferni draconem à me pellas. Timeo igneas

neas irati Dei sagittas: ora, & anima me tunc semianimem. *Macte animo! ego tibi adero* morienti. O adsis mihi, Deus meus, Deipara mea Virgo, sancte mi Custos Angele. S. Theodore; ut & ego sim vobiscum in æternitate! *Amen.*

s. Chrysologe Ep. M. in cujus martyrii loco fons erupit: qui amputatum capitis tui verticem, unà cum effuso cerebro, collegisti, & ad s. Petri aram deportatum, deposuisti, & expirasti.

s. Maxime Ep. qui uva in sentibus divinitùs repertâ recreatus es, cùm ærumnis prope jam enectus decumberes.

s. Moyses, & sex socii MM. qui quando pro Christo occidebamini, septem coronas de cælo, in te sociosque tuos, descendere vidit octavus, qui se metu victus absconderat: qui super orantem Zachariam quendam, descendentem Spiritum sanctum vidisti.

s. Fidelis Ep. qui sæpè Sanctorum catervis immistus, psallere, atque cum iisdem templa visere, conspectus es, cælestis veste indutus.

s. Meldane Ep. qui s. Furseo visus es inter quasi aliis advolantium Angelorum choros: quatuor Angelorum choros *Sanctus Sanctus Sanctus*, canentibus.

S. Romualde Fundator qui tuos filios, per scalam in cælum porrectam, ascendentes vidisti, qui tūū adhuc juvenis, noctu orans in templo. s. Apollinarem splendentem è tumulo prodire, ac aureo thuribulo altaria incensare, semel iterumque conspexisti, & relicta vitæ licentia, religiosæ solitudini te dedisti; septẽ añis in cella inclusus tacuisti ab ob-

ſcœno diſcipulo, de turpitudine*, per calumniam, accuſatus, à Deo defenſus es: cui S. Henricus Imperator dixit; *O utinam anima mea eſſet in corpore tuo!* neque tamen, licèt petenti Imperatori, eo die quicquã ſilentii religione, reſpondiſti: qui deniq; mortuus à tuis repertus in lectulo admirandis poſteà miraculis coruſcâſti; fac, ut anima mea ita dominetur corpori meo, ſicut tua dominata eſt tuo.

s. Angule Epiſcope M.

s. Adauce *M.*

Omnes ſancti Martyres, Urbis unius cives, s. *A*daucum ducem ſecuti, & igne conſumpti.

s. Moyſes Ep. *Saracenorum Apoſtole.*

S. Richarde, Rex *Angliæ* trium ſanctarum prolium pater, pro Chriſto pauper.

s. Juliana vidua, divina pariens, *Bononiæ* tuæ fidele præſidium: quæ voci de cælo, te ad paradiſi gaudia invitanti, lætâ morte es obſecuta: in cujus corde, poſt mortem Crux impreſſa reperta eſt.

s. Partheni Ep. dæmonum potentiſſime hoſtis, miraculis, ante, & poſt mortem, illuſtriſſime.

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 40.

S. *MARIA*, *cui hodie mortuus* Guilielmus, Dux *Bavariæ, octoginta librarum candelabrum argenteum Laureti dedit, quod viginti quatuor ramis, ſeu brachiis, totidem cereos candidos, & ardentes, diebus tibi ſolennibus, ſuſtineret. Totus annus meus, Domina ſit trecentarum ſexaginta quinque candelarum candelabrum, in corde meo per omnes viginti quatuor horas, quolibet die, amoris tui flamma lucentium!*

8. Feb. 6. *Idus Feb.*

S. Maria, Virgo patientissima, quæ illatam virginitati tuæ fœdam calumniam, plurima licet patereris, tacuisti tamen, etiam moriens. Sed innocentem te miraculis testatus est Deus. Illi verò, qui culpam (quòd calumniæ illa credidisset) ad pedes tuos deprecabatur, vox è cælo venit: *Quia ignorans fecisti, peccatum tuum veniam meretur.* Fac, oro, fac, ut non timeam ab humano, timeam autem à divino, judicari die. Possideam in patientia innocentem animam meam; & innocens compareamr pro tribunali *Dei*, qui judicabit & illum, qui patitur, & illum, qui infert quamcunque injuriam. Ille me innocentem dicat, & habeo, satis. Amen.

s. Juventi Ep. qui, ut quendam afflictum solareris, Ticino flumini dixisti: *Tibi dico, aqua, in nomine Domini nostri* JESU *Christi, qui pedibus super te ambulavit, ne retineas peccuniam, pro qua affligitur homo iste*; & vasculum, quod in flumen inciderat, cum pecunia, ad pedes tuos emersit: qui milites, armis mutuis interemptos, à morte revocasti: qui à Ss. Syro Nazario. & Celso per visum mortis admonitus, illam Sacro & concione peractis, opperiisti.

Sancti Paule, Luci, & Cyriace, *MM.*

Sancti Dionysi, Æmiliane, & Sebastiane M*M.*

s. Corintha M. horrendo supplicio discerpta.

Omnes Sancti *Martyres* Monachi Constantinopolitani, dirè cæsi.

Sancti Martyres Persici, diversis pro Christo suppliciis enecti.

 Ho-

s. Honorate Episc,

s. Paule Ep. qui clibanum illæsus ingressus, illum veste purgâsti;& pluribus etiam miraculis coruscâsti.

s. Scholastica, hoc die à s. Benedicto fratre tuo visitata, cujus divinis colloquiis ut diutiùs frui posses, tempestas cælitus coorta, illum à te abire volentem, prohibuit.

s. Æmiliane Ep. cui inter cruciatus dixit Christus : *Ne timeas; ego enim tecum sum in omnibus, quæ patieris*; quem in plumbi liquati cacabo canentem, Christus manu apprehendit, ac liberavit; & à flumine quoque deinde, & à feris tibi blandis, atq; à rota, ferreis dentibus undique horrida, evasisti divinitùs liber; qui antè, quàm capite truncareris, hanc ex aperto cœlo vocem audisti; *Euge, serve bone, & fidelis; exaudivi te in omnibus, quæ me rogâsti, Ecce orante te aperti sunt cæli; chori Angelorum te expectant parata tibi est corona, intra igitur, benedicte. in æternam requiem. Deinceps* Misericos *appellaberis, ac plurimos liberabis; eris spes navigantibus, refugium oppressis, advocatus egentibus, ægris medicus, dæmonibus acerrimus persecutor.*

s. Stephane, quo mortuo, puer in agone mutus, repentè dixit; animam tuam à se visam, in cælum per lucidam scalam, ascendere, seq; tecum iturum; & illico expiravit; qui post mortem, in veste rosea, Canonico cuidam conspectus es, posteà duobus in carcere visus, eos indè liberos eduxisti; Hugonem verò discipulum tuum propè aram extensâ manu, ad cælũ invitâsti: qui pauperi patri familias nummum argenteum dedisti, qui in ejus manu adeò est

multi-

multiplicatus, ut illum ex eo tempore pecunia nunquam defecerit.

B. *Isaia* Bonere, qui ad B. Virginis imaginem orans, elevabaris in altum, multo cælesti lumine circumfusus, & canens *Ave Regina cælorum*, quem ægrum visens eadem Beatissima Virgo, cum Jesu parvulo & Sanctis Poloniæ Patronis, dixit: *Serve mi dilecte; paratus esto jam possidere regnum Dei, ab initio mundi, à Deo, Sanctis omnibus præparatum*, cujus sepulchrum divino lumine non semel resplenduit; M à quo impudicæ fœminæ se vi divina repelli senserunt. Pelle à me, quicquid Deo displicere potest in me: juva me morientem.

OMNES SANCTI; &c. *pag.* 40.

S. MARIA, *cujus imago, à* B. *Isaia pingi jussa, in sinu habet parvulum* JESUM, *qui ex arcu sagittam jaculatur, qua imago, cùm coram eâ oraret* B. *Isaias, visa est pulcherrimo splendore de cælo illustris, auditis etiam vocibus Angelorum, Ave* Regina cœlorum! *canentium: accinente B. Isaiâ* Monstra te esse Matrem! Felix cæli porta. *Fac ut dulcissimus parvulus tuus ex arcu cordis sui, unam ex auro ignito auream & igneam sagittam jaciat in cor meum, & illâ exurat in me, quicquid illi, ac tibi displicet in me!*

9. *Feb.* 9. *Idus Feb.*

S. Apollonia Virgo, quæ fractis malis, ac dentibus excussis, per ignem gloriosè ad refrigerium cœli volasti, magna Patrona contra dentium, capitisque dolorem. Tu ignes hic passa, & inferni & purgatorii horrendos ignes evasisti, majores minoribus

noribus. Ora ut ita corpus hoc meum amem, ut benè penetrem; præstare, ut hic patiatur, momento uno, dolorem parvulum, quàm post mortem, per omnes æternitates, dolores, infinitate horrendā æternos. Hic ut benè patiar, benè moriar, ora; ut ibi vivam æternùm, ubi nihil molestum patietur ullum unquam corpus, vel anima ulla. Am.

s. Attracta, Virgo regia, cui S. Patritius velum, cælitùs ad se missum, dedit: quæ eidem, sacris operaturo, patenam, quam non habebat, cœlo impetrasti: quæ orando, monstrum diabolicum occidisti, occide in me, quicquid me trahit ad mortem.

s. Teliane Ep. tuo idiomate ad gentes varias locute, & ab omnibus intellecte: cujus cymbalum mirabile, sono suo, ægros curare dicebatur; & sonum, singulis horis, edere suâ sponte; sed aliquorum, in peccatis existentium, manibus contractum, illud cæleste donum amisit. Procul fac à me illos socios, à quibus deterior fieri possim.

s. Sabine Ep. cujus Vitam, in libro scriptam, dæmon dixit, esse Vitam sui adversarii capitalis: qui orans per iter, ab aquila, expansis alis, contra solis ardorem, protectus es; quocum noctu psallere alternis choris auditi Romæ Angeli, te apud Pontificem à calumniâ absolverunt; cui ad sepulchrum suum oranti s. Nicolaus Ep. dixit: Euge Sabine, Deus tuas preces exaudiit; inque venerationis, corpori hic meo impensæ, mercedem hæc me tibi jussit nuntiare: *In divino usque ad obitum cultu perseverabis.* Ora pro me cum Sancto tuo Nicolao, ut merear exaudiri, dum oro, & Sanctos colam ac imiter, atq; in benè cœptis perseverem, & salvus fiam.

s. Ans.

s. Ansberte Ep. in cujus mortui brachiis roseum Dominicæ Crucis signum repertum est.

s. Raynalde Ep. qui leprosum osculo sanâsti: super quem, sacris operantem, Spiritus sanctus, sub specie ignis, descendit: qui in cubiculo, cum Dei Matre, ac Ss. Agnete ac Theclâ Virginibus, colloqui es auditus; & ab iisdem, ac à Ss. Apostolis Petro & Paulo, sæpiùs visitatus: qui cum vestem tuam pauperi donasses, nuda tua brachia, ab Angelis, aurea & argentea veste ornari sunt visa, voce de cælo auditâ, quâ tua charitas laudabatur, & populo dicebatur: *Sic debetis & vos facere*: qui dæmonem purpuratum, & Christum se esse mentientem, fugâsti, dicens, te Christum velle agnoscere, non ex auro aut purpurâ, sed è Vulneribus, in Cruce toleratis. Doce me Christum crucifixum amare; suspectum habere, quicquid splendet; cum Dei *Matre* & *Sanctis* sanctè conversati, ac eò, ubi tu cum illis es, pervenire.

s. *A*lexander, & alii triginta octo MM.

sancti *A*mmoni, & *A*lexander M*M*.

s. Nicephore *M*. qui capite pro Christo plexus, eam, quam Sapricius, duri odii tenax homo, coronam matyrii, propter odium, accipere non meruit, accepisti.

Sancti Prime, & Donate MM. Diaconi dum aram tuemini, occisi.

OMNES SANCTI. &c. *pag*: 40.

S. MARIA, *cujus aspectu sæpè inflammatus* Ignatius Loyola, *hoc die anno* 1609. *Beatorum catalogo est adscriptus. Munda cor meum, ut illius cor mundasti; & doce illud artes amandi Deum, ac te, quemadmodùm illum docuisti!*

10. *Feb.* 4. *Idus Feb.*

S. Austreberta Virgo, cujus necdum natæ, nomen Angelus matri tuæ prædixit; quæ nuptias fugiens, signo Crucis facto, super aquas ambulasti, & clibanum ignis ingressa, illæsa indè rediisti: quæ omnes, qui in tuum, dum morieris, auxilium vocabantur Cælites, eo, quo vacabantur, ordine aspexisti: quæ post mortem, pigræ cuidam moniali, noctu, aliis orantibus, dormienti apparuisti, eamq; acriter reprehensam, & in facie percussam, emendasti: quæ Virgini, templum diebus sabbati verrere, tuumque tumulum floribus ornare solitæ, morbo afflictæ, conspecta es, eamq; solata, illam sabbato proximo ad cælum migraturam, prædixisti. Invito te, ac omnes Sanctos tecum; excute torporem meum: doce me humilitatem, orandi assiduitatem: adsis mihi in illo puncto, in quo vertitur cardo spei meæ. Adsint tecum ii, qui tibi morienti adfuerunt Cælites, & Cælitum omnium Rex JESUS, Regina MARIA, quos ego unà tecum omni momento nunc absens amare semper cupio, posteà verò in æternitate coram. Amen.

Sancte Zotice, Irenæe, Hyacinthe, & Amanti, MM.

Sancti decem milites MM.

S. Soter Virgo nobilis, diù & graviter alapis cæsa; quæ, post alia supplicia, per gladium læsa migrâsti.

S. Silviane Ep.

S. Sura Virgo-Martyr.

s. Charalampi *M.* qui duos repentè ſanaſti; & vocem de cælo, hæc tibi dicentem, audiſti. Charalampi, qui terræ lampas es, in cælis reſplendens, Angelorum ſodalis, contubernalis Prophetarum, Apoſtolorum ſocie, commilito Martyrum, meoque alloquio dignus. *Audivi*, quæ precatus es. Sic ſermo tuus medicina ægrotantibus. Quem etiam ſtupendo equi, tuas laudes locuti, prodigio honoravit Deus, cui morienti dixit Chriſti: *Veni, amice mi, qui multa propter nomen meum perpeſſus es.*

s. Guilielme, è Duce *Aquitaniæ*, ac milite, Eremita, lorica è catenis contexta, indute poſtquam à s. Bernardo, ſanctiſſimi *Sacramenti*, tibi oſtenſi, præſentia, conterritus es, & converſus; quem, à dæmonibus dirè percuſſum, Beatiſſima Virgo, ſe tibi oſtendens, ſolata eſt, & ſanavit: qui poſt mortem, cantare in cœlo cum *Angelis* viſus es, & auditus.

S. Scholaſtica V. s. Benedicti ſoror; qui tuam animam, inſtar columbæ migrantem è corpore, in cælum aſcendere vidit: cujus corpori admotum puellæ mortuæ cadaver, illicò ad vitam rediit.

s. Peregrine, vocante Domino, ad cæleſtem patriam introducte.

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 40.

s. MARIA, *cui hodierna* S. Sura V. M. *templum erectura, ab Angelis didicit ejus molem. Da mihi magiſtrum Angelum, fac me docilem, & obedientem; ut ſciam & velim, Deo, ac tibi ædificare templum in me & in cordibus aliorum, Angelo meo Cuſtode magiſtro, & adjutore!*

11. Feb.

11. *Feb. 2. Idus Feb.*

STHelica M. qui ungulis discerptus, ac tormentis aliis laniatus, *Deus*, ajebas, *miserere! Gratias tibi ago t Domine, da mihi constantiam, ad Dei gloriam. Gratias ago Deo regnorum. Apparet regnum æternum; regnum incorruptum Deus sanctissime, Deus altissime, Deus omnipotens, tibi laudes pro nomine tuo agimus. Pro lege Dei morior, in ipsa consumor, Domine* Jesu, *tibi servimus; à te gratiam, & misericordiam sempiternam expectamus.* O utinam, tuis, tuorumq; sociorum precibus, ad Dei gloriam, gratias agens, Christo serviens, moriar, & tunc *appareat mihi regnum æternum*, in quo Regi æternitatis, unà tecum, serviam! Amen.

s. Dative, qui, inter ungularum laniationes, piè suspirabas: *O Christe Domine, non confundar! Rogo, Christe, non confundar!*

s. Severine senex, qui inter similes cruciatus ajebas: *Gratias tibi ago Deus! Fili Dei subveni.*

s. Emerite, cujus inter eadem tormenta hæc erat oratio: *Deus major est, quam Imperatores. Rogo te Christe* Jesu, *da constantiam. Breviter patior, libenter patior: Christe non confundar!*

Omnes sancti, & sanctæ Matyres, cum his, vestro sanguine coronati.

Omnes sancti Martyres in Numidia.

s. Luci Ep. & socii Martyres.

s. Desideri Ep. M.

s. Calocere Episcope.

s. Lazare Episc.

S. Castrensis Ep. qui gibbosum, & contractum sanasti; & mortis tuæ divinitus conscius, ad illum te in sepulchro composuisti vivus.

S. Hippolyte Presb. qui conversis, per miracula, octo hominum millibus, imposito dæmoni silentio, fulminato, & corruente ad preces tuas jovis fano, unà cum Ss. Sabino & Romulo, plexus, è sepulchro salutarem ægris aquam per triduum dedisti.

S. Severine Abba, qui oratione Regem Clodoveum, in febre diutinâ; Eulalium Episcopum, surdum; & mutum; leprosum, sputo, & osculo, aliosque sanasti: cujus morientis locus cælesti lumine: circumdatus, resplenduit.

S. Jona monache.

S. Euphrosyna V. quæ sub *Smaragdi* nomine, instar monachi, in cœnobio humilis, atque ignota, per octo & triginta annos, vixisti; quæ ne à patre quidem tuo agnita es, ob vultum lacrymis plenum, & jejuniis assiduis squalidum; verùm illum de absente filiâ quæstum solata, ei promisisti, facturam te ut suam filiam aliquando videret; ac triduo ante mortem, patri tuo, quænam esses, dixisti: unde ille illi cœnobio dedit sua omnia, & se ipsum; ac in tuo cubiculo vixit usque ad mortem; cujus mortuæ cadaver osculatus unoculus, oculum mox recepit. Impetra mihi heroicam de me ipso victoriam.

B. Martine, qui per iter, instar furis, captus, ab Angelo es liberatus: quem S. Isidorus è cælo à Religiosis conspectus atque auditus, revocari jussit ad cœnobium à quo abieras, ob linguas dissolutorum, tuos mores non ferentium, teque accusantium, ceu singularem, atque hypocritam, cui idem Isidorus

rus apparuit, & cùm nec doctrina, nec ingenio polleres, porrecto tibi ad comedendum libro, dixit: *Cape Martine librum & comede*; simul scientiam sacrarum Scripturarum hausturus, Deo largiente, id quod adeò affluenter expertus es, ut septem amanuenses habueris, quibus scribenda doctè sanctèq; dictabas; cibo, qui tibi præbebatur, ita cælitus multiplicato, ut illis tibique suffecerit. Impetra mihi lumen, quod me in scientiâ Sanctorum erudiat; ignem, qui accendat.

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 40.

S. MARIA, *super cujus templum splendere hodie, & Aquilanæ Vrbi benedicere visus est* s. Petrus Cælestinus. *Da mihi, & impetra mihi benedictionem ab omnibus Sanctis tuis, quorum Regina es!*

12. *Feb. Prid. Idus Feb.*

S. *Antonio* Ep. qui primas litteras puer, Spiritu sancto magistro, sanctus discipulus, didicisti; & deinde patrem etiam tuum, ad mundi contemptũ pellexisti: cui pro testamenti, in pauperes erogandi, auctario, magnam auri vim addidit Angelus; data in exequiis elemosyna, in ipsis pauperum manibus crevit, & cadaver odore cælesti fragravit. Ora magistrum tuum pro me, felix discipule, ut ita me illa, quæ nescio, scire; ita illis, quæ scio, uti; ita vivere, ac morti doceat, prout verum Spiritûs sancti discipulum decet. Amen.

s. Constanti Comes, è milite opulento, Deo militans, post expensa illa Christi verba: *Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus:*

peribus: qui locum, condendo Dei Matri templo, à columba didicisti.

s. Eulalia Virgo, cujus lateribus admotæ flammæ extinctæ sunt, igne in carnifices verso: quæ, post equuleum, ungulas, flammas, crucifixa; & mox à nive de cælo cooperta, spiritum, in columbæ specie, in sublime volantem, exhalasti: quæ S. Felici, tibi palmam gratulanti, arridere es visa.

s. Damiane miles M.

Sancti Modeste, & Juliane MM.

s. Modeste Levita M.

sancti Modeste, & Ammoni, infantes.

s. Meleti Ep. pro Christo exul.

s. Gaudenti Episcope.

s. Juliane, à quo in specie pauperis, pastus Christus, dixit; te peccatorum veniam obtinuisse.

s. Eleutheri, qui decimo quinto ætatis anno, cùm aucupio multum occupareris, noctu, per quietem, vocem audisti: Eleutheri, quid frustra laboras? Ecce faciam te homines capientem; & cum religiosa s. Basilii veste nomen Alexii accepisti. Postea Metropolita Kijoviæ cæcæ Amurathis, Turcarum Imperatoris, filiæ visum restituisti; mortis tuæ tempus prævidisti; eamque post Missæ sacrificium, datâ Principi, ac populo benedictione sancte obiisti.

OMNES SANCTI. &c. *pag.* 40.

S. MARIA, *de qua, per annum integrum, Sacrum quando id licet, celebrari petiit à S. Brigitta, suâ conjuge, hodie mortuus & illi conspectus*, Ulpho. *Doce me purgatorii breviandi compendium, & artem, Domina; & ut multas animas indè eripiam, juva!*

13. *Feb.*

13. *Feb.* | *Ibid. Feb.*

B. Jordane, qui eo, quo pauperem donâras, baltheo, Crucifixum in templo ornatum vidisti: ad quem Beatissima Virgo sæpè sceleratos plures persanandos misit; quam etiam, inter preces, prehensa JESU parvuli manu, orantibus omnibus benedicentem vidisti; qui denique dum terram sanctam petere, ad cælum naufragus abiisti. Ora, ut & mihi, tam viventi, quàm morienti, cum prole pia, benedicat Virgo MARIA, sivè repentè, sive aliter moriar. Amen.

s. Agabe Propheta.

Sanctæ Fusca Virgo, & Maura nutrix, gladio transfixæ. s. Fusca, quæ fame macerata, in carcere orans reperta es. Angelo tibi adstante, cujus aspectum carnifices ferre non poterant: quæ moriens vocem è cœlo audisti: *Noli timere, Fusca fidem servasti, cursum consumasti; veni ad requiem; suscipient te Angeli.* Doce me ita orare, ut me, cum Angelis, suscipias morientem.

B. Vulfride, cui in Cantico, *Benedicete* versum illum, *Benedicamus Patrem, & Filium, cum sancto Spiritu,* religiosè recitanti adfuit Angelus, & ardentissimum splendidissimumq; carbonem, è thuribulo deproptum, ori tuo injecit, ac omnia tua intima suavissimo ardore succendit.

s. *Martiniane*, qui dæmonem, in cubiculo tuo, draconis instar, illud suffodere tentantē, superâsti; sed ab eodem posteà per fœminam deceptus es, quando à fœmina, in tuum cubiculum, in silvis, (ne à feris

à feris devoraretur) cum lacrymis admitti petente, atque admissa, tibique periculosè blandiente, in cogitatione ad scelus jam inclinata illusus, mox resipiscens, in ignem te semel ac iterùm conjecisti, ac semiustus humi jacens, fœminam impudicam, scelus in alio cubiculo expectantem, ad pœnitentiam dito illo spectaculo convertisti, & deinde sub dio degens, pœnitentiam per sex annos egisti, qui postmodum puellam, è mari ereptam, in tuto collocasti; sed ne propè illam habitares, mari tè commisisti, delphinorum tergis ad littus evectus, puella illa istic sub viri veste, sanctè vivente ac mortua.

Ss. Polyeucte, Juliane, Benigne, MM.

s. Gregori Papa secunde.

s. Lucine Comes, Ep. qui stipem petentibus sex cæcis, & sex claudis, benedictionem tuam impertitus, illos persanasti.

S. Fulcranne Ep. quem utero ferens mater, arborem pomis onustam, & populis ad solatium, ac pabulum, utilem, sibi per quietem visa est produxisse.

s. Stephane Episc.

s. Stephane Abba miræ patientiæ vir: in cujus transitu sancti Angeli, cæteris etiam videntibus, adfuerunt.

s. Francisca Romana, quæ, hoc die *ignem splendidissimum*, sub tabernaculo, & Christum, *igneos radios* è suis Vulneribus, super animas, quæ tecum erant, vibrantem, ac animas, *ignem illum ingredientes* & egredientes, videns, divinitùs edocta es *ignem* illum, esse *ignem amoris Dei*; animas verò illas esse animas *perseverantium in divino amore*, & venientium, *ad renovandum se in illo igne amoris Dei*, ad quem

quem ut magis accederes, te hortabatur, cum S. Agnete, s. MARIA Magdalena; choro purarum animarum ignem illum duce Magdalena, ingresso; & canente laudes humilitatis, patientiæ, odii sui, denique charitatis amore totam animam incendentis, eamque, ne timeat, confirmantis. Renova me in igne illo: fac ut in eo perseverem, ac ardeam in æternum.

OMNES SANCTI, &c. pag. 40.

S. MARIA, *quæ ad hodiernum tuum B.* Jordanum, *tui Nominis per quinque Psalmos, cultorem, puellam pro confessione, & consilio misisti : fac mundam, teneram, immaculatam conscientiam meam : dirige Confessarium meum!*

S. MARIA, *quam hoc die Sancta tua* Francisca *tribus coronibus gloriosam aspexit ; & s. Mariam Magdalenam, laudes tuas canentem, audivit. Doce me flere peccata mea, lacrymis è corde, amoris flammâ liquefacto, fluentibus, ita docebis me canere laudes tuas!*

14. *Feb.* 16. *Kal. Martii.*

S. Auxenti, à columba paste, qui pro Divinitate; & MARIÆ Deiparæ Virginitate, per prodigia, contra improbos decertâsti; qui scaturientes, è tabescente doloribus pleno corpore tuo, vermes adeò habuisti pretiosos, ut vermem, si quis excidisset, reponeres, longissimæ patientiæ, ac mortis exemplar sanctum. Doce me, ut pretiosos faciam dolores meos, vitam meam omnem, mortem meam, æternitatem meam. Habeat coram Deo pretium omnis actio mea, vita mea, mors mea, sciam pati, sciam vivere, sciam mori. Amen.

s. Va-

S. Valentine Ep. qui cùm pro Christo ad ossa usque ad nervos cædereris, lætus dicebas: *Gratias tibi ago Domine* JESU *Christe, qui me inter servos tuos numerare dignatus es*! qui una cum socio tuo s. Damiano, in carcere psallens, Angelum vidisti, coronas æternas vobis portantem, & catenas vestras in pulveres redigentem. A quo suscitatus à mortuis Demetri Proconsulis filius, dixit: *Verus Deus Christus quem prædicat famulus ejus Valentinus*; ac Proconsulem, cum quadringentis è familia, & bis mille aliis, baptizasti; una cum S. Damiano, à sacrificulis capite posteà plexus Martyr, ad quorum corpora mortuus alius resurrexit; & dæmon pulsus, templum teterrimo fœtore implevit: sed cum *Te Deum laudamus* cantaretur, è vestro tumulo erumpens cælestis fragrantia, fœtore illo superato, omnes mirifice recreavit.

s. Modestine Ep. qui dirè ac variè cruciatus, vinculis ab *Angelo* bis exemptus, energumenos curasti, mortuum excitasti, statuam dejecisti è qua draco prosiliens, plures interfecit; qui à candente tunica æreâ, & ab olla fervente nil læsus, obiisti *M.*

S. Antonine Abba, cui s. Michael Archangelus apparuit: qui totam Christi passi tragœdiam tuis manibus, in templo, in marmore sculpsisti; & morte, jam antè prævisâ, diem clausisti, post etiam, energumenis liberatis, & miraculis clarus.

S. Guilielme, alter Antoni, contra dæmones, tibi horrendè spectabiles, victor, à Christo, ejusq; Matre, ac Angelis, persæpè visitate, atque firmate.

Sancti Vitalis, Felicula, & Zeno MM.

s. Valentine Ep. diù cæse, capite plexe,

Sancti

Sancti Procule, Ephebe, & *Apolloni*; Martyres.

Sancti Basse, *Antoni*, & Protolice, in mare demersi.

Sancti MM. Cyrion, Bassiane, *Agatho*, & *Moyses*, combusti.

Sancti Dionysi, & Ammoni, decollati.

S. Eleuchardi Ep.

S. Stephane, qui, orandi efficacitate, multos è profunda peccati abysso licèt diu invitos, ad frugem, adeoque ad Christi vestigia perduxisti: è quo cælestis quædam odorum fragrantia in eos, qui tecum consuetudine sanctâ versabantur, fundebatur: qui rogatus à tuis, post mortem miracula facere desiisti; ne quies & disciplina cœnobii, à populo, aut affluentiâ munerum, laxaretur.

B. Christina, inter orandum visa splendidissimis radiis collucere quam in morte invisens Deipara, ad Christi sponsi thalamum, ad gloriam invitavit.

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 40.

S. MARIA, *quæ morienti hodie tuæ* Catharinæ V. *Spoletinæ adfuisti. Fac me dignum, quem morientem juves; ne peream!*

S. MARIA, *quam pro quodam orans* S. Stephanus *hodiernus, effecit, ut qui captus fuerat, solveretur; ii autem, qui eum ligaverunt, ligati, ad portam cœnobii, divinitùs sisterentur. Solve vincula reis, internis, & externis sensibus meis!*

15, *Feb.* 15. *Kal Martii.*

SAncti Faustine, & Jovita, fratres, acerbissimis tormentis gloriosi, à bestiis, & flammis immunes, è mari per *A*ngelos erepti, securi percussi Vobis, in carcere, sacrarissimam Eucharistiam ministrantibus, *A*ngeli ministravêre. Orate, ut ego & vos, & Angelos, habeam adjutores, & sanctissimo viatico sanctè munitus, ex hoc carcere non eam ad supplicium æternum; sed ad illam, quam Christi, & vestro vobis sanguine, ac doloribus emistis, immortalitatem. Amen.

s. Decorose Ep. qui, inter dicendum ad oves pascuæ tuæ collapsus, ad aram delatus, ibi expirans, magno sensu dixisti: *Magnus Dominus & laudabilis nimis, cujus magnitudinis non est finis!*

s. *A*nthilia, Imperatoria Virgo, quam decennem S. Donatus à dæmone dirissimo liberavit; quæ carnificata, & ab Angelo restituta tyrannum irrisisti: cujus tenerum caput, resectum à corpore, suo iterùm loco aptè repositum divinitùs ad circumstantes multa dixit de Sss. Trinitate.

s. Craton, unà cum uxore, & universâ familiâ, Martyr.

s. *A*gape V. Martyr.

Sancti Saturnine, Castule, Magne, & Luci, MM.

s. Quinidi, cujus mortem, in conspectu Domini pretiosam, miracula crebra testantur.

s. Antoni de Padua, hodie translate, ad cujus tumulum quidam, pro Urbe ab hostibus vexata

orans, vocem è tumulo tuo audivit; *Deo gratias, Civitas liberata est*, & hostis fugit: cujus linguam, post duos & triginta annos recentem, corrupto reliquo corpore, videns s. Bonaventura, beatam dixit linguam, quæ non nisi de divinis novit texere sermonem!

s. Veronica, hoc die in Aquitaniâ celebrata, quæ sudario tuo, Christi, Crucem bajulantis, faciem extergens, mirabilem nobis ejus in illo imaginem reliquisti: ora Jesum, ut illuminet vultum suum super me; cujus vultus in velo tuo expressus, ægros varios gibbosum, energumenosque sanat.

s. Severe Presb. qui fusis lacrymis, Angelo ministro, defunctum revocasti ad vitam, ut meliùs moreretur.

s. Joseph Diacone.

s. Georgia, Virgo Deo devota, cujus funus Angeli, in columbarum specie, sunt honorificè prosecuti.

s. Sigefride Ep. qui, hostiæ sacræ loco, in Sacro, parvulum Jesum elevare es visus.

s. Eusee, Eremita sutor, quo moriente, in saxo, ubi habitabas, tria lilia sunt enata.

s. Berachi Abba, qui orando effecisti, ut terra arida accidulas, & salices poma salubria, ægris producerent; ut pusillus corpore Bræffenensium Regulus, post brevem somnum, se corpore procero conspicuum miraretur.

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 40.

S. MARIA, *quæ hoc die, brachium saucii cujusdam, & reliqua vulnera pretioso unguento ungens; repentè omnia persanàsti, Sana mea vulnera: miserere sauciæ animæ meæ!*

16. *Feb.* 14. *Kal. Martii.*

S Juliana Virgo, quæ è capillis suspensa, liquato ære perfusa, sed illæsa, dæmonem, boni Angeli specie, mala suadentem ut vinceres, orâsti & audita è cœlo voce dæmonem illum tenere jussa, illũ apprehendisti, quis esset? interrogâsti, illo respondente, se esse *dæmonem Belial, amatorem luxuriæ ac dissensionum.* Illum ergò alligatum, verberatumq; in forum duxisti, & in locum plenum sordibus abjecisti; ignem, ad quam damnata eras, piis lacrymis extinxisti; lebetem ferventis aquæ, precibus disrupisti, caput pro Christo dedisti. Ora pro me; ne me arte ullâ unquam fallat Angelus tenebrarum, præcipuè in morte cum æternitate luctantem. Tu illum alliga; ut plus tua pro me oratio efficiat, quàm quicquid aliud contra me. *Amen.*

S. Onesime Ep. pro Christo lapidate.

Sancti Juliane Ep. Joannes Diacone, & quinque millia Martyrum.

Sancti Elia, Hieremia, Isaia, Samuel, & Daniel, Martyres Ægyptii, torti, & gladio percussi.

S. Porphyri, Pamphili Martyris famule, & S. Seleuce, cruciati; alter incendio, alter gladio Martyr.

s. Faustine Episcope.

OMNES SANCTI, &c. *pag* 40.

S. MARIA, *Gravelingana, quæ infirmo, tibi per votum supplici, ad quatuor horas, per triduum, illuxisti, sanasti, solatiis dulcissimis recreasti: doce me ita orare, ut merear non deseri à te!*

17. *Feb.* 13. *Kal Martii.*

S. Sabine Ep. qui hominum cogitationes, & corda vidisti, etiam cæcus; cui propinatum venenum nocuit propinanti. Jam post mortem non cæcus, verùm Deum videns es. Ora pro oculis cordis mei, ut sint puri & simplices: ora, ut ea, quæ corpori molesta sunt, feram libenter; quia à Deo sunt: ora ut ita claudam oculos moriens; ut in carne meâ videam æternùm Deum Salvatorem meum, Amen.

s. Faustine, & socii Martyres quadraginta quatuor.

s. Polychroni Episc. qui, ore lapidibus contuso, expansis manibus, fixis cœlo oculis expirâsti: cujus opem implorans, abscissâ linguâ, Parmenius Presbyter, dixit; videre se Spiritum sanctum in te regnantem, qui sacrum os tuum signaverit, eique favum mellis infuderit.

s. Joannes Interamnensis, ac socii MM. à s. Valentino Ep. ad fidem conversi.

s. Fintane. cujus mater, partui proxima, monitu Angeli, in solitarium locum secessit, teq; ibi peperit, cibo è cælo subministrato, per dies septem, nutrita: qui ab Angelo monitus, ut, ea faceres, quæ tibi dicturus erat vir tibi obvius, obvium habuisti mutum, repentè loquentem in hæc verba: *Omnia, quæcunque bona pro Deo inchoaveris, pro nullo homine, ante exitum tuum, dimittas; donec certamen tuum consummes*, qui orans, à Deo impetrasti, ut frater cujusdam à morte resurgeret, ac fratrem superstiti;

perstitem, ad cælum, his ei dictis verbis, è feretro, invitaret: *Frater mi, festina accipere sanctum Sacramentum; quia familia cælestis, quæ venit obviam animæ meæ, reversa est mecum obviam animæ tuæ quia pater noster Fintanus rogavit Deum in cælo, ut ita fieret.* qui etiam noctu, inter orandum, visus es cælesti lumine circumfusus; & inter Angelos, ad Christi tribunal, conspectus es.

S. Constabilis, qui, post mortem, Leoni cuidam, in precibus negligenti, per quietem visus, dixisti: *Quare tam negligenter agis, & debitam psalmodiam defunctis nequaquam reddis? Festina, & præpara te; quia valdè cito morieris.* Inde ille otii osor factus, & in orando assiduus, brevi cessit è vita. Tu verò posteà Joanni quoque cuidam ægro apparuisti, cumque unguento unguens, ei dixisti: Ecce sanus factus es. Vade, deinceps *humiliter vivas*, ac te præceptis majorum in omnibus subdas. Et ille sanus evigilavit.

Sancti Donate, Secundiane, Romule, & alii octoginta sex MM.

S. Theodule senex, qui Martyrum excitatus exemplo Christum confessus, pro illo crucifixus es.

S. Juliane, qui Sanctorum corpora exosculatus, pro Christiano agnitus, lento igne combustus es.

S. Silvine Episc. qui in cælum stipatus Angelis discessisti.

B. Odo, qui quoties sacra mysteria celebrabas, videbaris tibi, complectentem te, vicissim puerum Jesum amplecti.

OMNES SANCTI, &c. pag. 40.

S. MARIA, *quæ hodiernum* Alexium, *unà cum*

ſex aliis, ad fundandum ſociorum tuorum Ordinem vocaſti: qui etiam ultimo die, qui erat ſabbati non omiſit conſuetudinem, tibi centies AVE MARIA dicendi. Impetra mihi cor, bonis inſpirationibus obediens, ac in propoſitis conſtans!

18. *Feb.* 12. *Kal. Mart.*

S. Simeon Epiſc. Jacobi ſucceſſor, cognate Chriſti centum viginti annorum ſenex, acerbiſſimos Crucis dolores conſtanter perpeſſe. Ora pro me Crucifixum JESUM, ut mors illius ſit æterno ſolatio morti meæ, ut ita Crucifixi amans vivam hic, & moriar in tempore, ut ille me amet in æternitate, Amen.

Sancti Maxime & Claudi, fratres Martyres, & Præpedigna, Claudii uxor, ac Alexander, & Curia, filii, omnes igne combuſti.

Sancti Luci, Silvane, Rutule, Claſſice, Secundine, Fructule & Maxime, *MM.*

S. Flaviane Ep. pro Chriſto exul.

S. Helladi Epiſc.

S. Theotoni, qui oblatum tibi Epiſcopatum ſæpiùs detrectaſti; Regem Luſitaniæ Alphonſum, ac Mahaldam Reginam, à graviſſimis doloribus liberaſti: à qua poſteà graves licet moleſtias ſis perpeſſus, quòd illam clauſtrum ingredi non permitteres; tamen contra reſpectus humanos conſtans perſtitiſti, dicens: Non decere fœminam habitaculum ingredi mundum fugientium, niſi fortè defunctam: qui dæmones à plurimis, præſertim in mortis agone conſtitutis, cōpeſcuiſti, atque fugâſti. & in ſenio

ſacrum

ſacrum cœnobii magiſtratum abdicans, totum te Deo cogitando amandoque dediſti; baculo, quem S. Bernardus tibi donaverat, uſus ad fulcrum, ac dolorum levamentum, qui S. Petrum Apoſtolum ante mortem triennio vidiſti, & amplexum ab illo, ac mortis, trienio poſt futuræ, nuntium accepiſti; viſus & ipſe coram Deo, incomparabili candore veſtitus, & in mari candidam Religioſorum coronam gubernans, ne quid à mari pateretur: qui paulò ante mortē in turri excelsa tibi eſſe viſus es, à S. Petro audiſti, fore, ut pro brevi labore, beatitudine æterna perfruaris, & tunc tibi S. Petrus etiam ſcalam, in cælum porrectam, oſtendens, dicebat: per illam in cælum eos evadere, qui hinc exeunt perpurgati magis; non nullos verò minus perfectos, ajebat, in cœnobio diutiùs debere purgari. quo morituro viſus eſt pridie magnus ſtellarum globus è cælo in medium clauſtri deſcendere.

S. Silvane, à Beatiſſima Deipara plurimis revelationibus, beneficiis honorate; qui inter ſacra myſteria, totâ facie illuſtriſſimus refulſiſti, veſtibus niveo candore perfuſis.

S. Leo qui flagris cæſus, gratias Deo pro tormentis agens, & pro inimicis orans, aquis merſus es.

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 40.

S. Maria, *qua* S. Silvanum *ſanans dixiſti*: Redi in te, fili mi Silvane; & gratificare novis operibus meritoriis favorem hunc, quem tibi exhibeo. *Impetra mihi, ut novis & novis modis, flagranter quotidie gratias tibi agam!*

19. *Feb.* 11. *Kal. Martii.*

S. Conrade Placentine, qui, ut illata à te, occasione venationum, damna sarcires, tua omnia vendidisti: per annos quadraginta humi cubans, asperitate mirâ te ad mortem pretiosam præparasti: carnes appositas in pisces vertisti. Episcopum Syracusanum visens, plurimis aviculis circumvolantibus, ac velut applaudentibus, es exceptus: redeuntibus carnis ardoribus, puritatem tuam ut servares, in vepres te abjecisti; qui adolescenti, hastâ è cœlo transfigendo, clypeum te objecisti: qui cælo familiarissimus Deo animam flexis humi genibus, reverendissimè, sonantibus tunc sponte suâ duarum civitatum campanis, reddidisti. Oppone tuas preces clypeum pro me animam agente, ne peream. Ora, ut nunc demississimè, ac reverendissimè orem Deum meum; ut devotam Deo vitam meam devota, & sancta sequatur mors, & mortem vita immortalis. Amen.

s. Gabine Presbyter, & M. frater B. Caji Papæ.

s. Publi, Juliane, Marcelle, & alii Martyres.

Omnes sancti MM. in Palestina cæsi.

s. Zambda Episc.

s. Auxibi Ep. cujus tumulus ægrorum asylum & medicus fuit; qui quadraginta obsessis à dæmone, ad tumbam tuam venientibus, obvius in splendore mirabili, omnes ab immundis hospitibus liberâsti.

s. Barbate Episc. qui longobardos, (qui viperam colebant, & suspensum ex arbore illius corium certa-

certatim comedebant] Apostolus convertisti: qui ex aureo illius viperæ simulacro calicem, & patenam curâsti; Romualdo Principi Beatissimam Virginem, pro Beneventanâ Urbe obsessâ, contra hostes pugnantem, ostendisti: quem impediens quidam apud Principem in fide propagandâ, à dæmone correptus est, te jubente, ac ex vero prædicente, ex ejus posteris, per aliquot generationes, non defuturum unum quempiam, qui à dæmone sit obsessus.

S. Bonifaci Episc. Dei Matris ope sancte: quem eadem aureo paludamento, & corona insignis: prima die Julii, cum S. Joanne Baptista, & cælestium Virginum choro, invisit & parvulum JESUM, ipsâ Christi nascentis nocte, cùm æger decumberes, in lecto tuo deposuit; parvulus verò, reducto à facie, quo tegebatur velo, vultum suum, admirabili venustate amabilem, tibi ostendit: qui ægro cuidam Cardinali, vivus tunc adhuc & absens, apparuisti, ac eum persanasti, magnus contra morbos patronus, & maximè contra febres: cui, delicta juventutis desflenti, sanctissimæ è cœlo Virgines, porrecta scheda undequaque candidâ, dixére; peccata tua omnia esse deleta: cui divinum sacrificium celebranti, Angeli ministri, ad latus, hinc, & hinc, adstitêre: qui inter orandum, in cœlum abreptus, spectasti *Cherubinos*, quomodò accendantur, & ardeant; postea ductus es ad choros singulos Angelorum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Virginum; ac demũ ad ipsam Dei Matrem, vidisti que qualiter ipsa à suo Filio, & à Sanctorum omnium Republica honoretur, denique Sss. Trinitas

tibi ostendit, quomodo MARIA, & omnes Sancti, sint in sss. Trinitate, & quomodò sss. Trinitas sit in illis. Doce me amare Deum in Sanctis, Sanctos in Deo, ut hic amor peccata mea deleat, & me faciat sanctum filium Dei Matris, servum sss. Trinitatis.

s. Mansuete Episc.

OMNES SANCTI; &c. *pag.* 40.

S. MARIA, *Transtiberina, cujus, hoc die, ad S. Sixtum translatæ imaginis dies est; illius, ut putant imaginis, quam in peste* S. Gregorius *circumtulit, & ab Angelis* Regina cæli *cantare audivit. O Regina cæli, præpara me regno illi, cujus Regina es!*

S. MARIA, *quæ S.* Bonifacio *Episcopo ægro apparuisti, & ad pedes tuos provoluto, roganti que:* Domina mea, S. MARIA, sanctifica me! *respondisti*: Et sanctificavi, & iterùm sanctificabo te, *Fac, ut idem ita petam, ut merear impetrare!*

20. *Feb.* 10. *Kal. Mart.*

SEucheri, qui antequam nascereris, jam Episcopus futurus dictus es ab Angelo: qui ad illa *Apostoli* verba conversus es: *Præterit figura hujus mundi. Sapientia hujus mundi, stultitia apud Deum reputabitur*; qui cum à quo, ob falsos calumniatores exilio damnatus fueras, Regem Carolum Martellum, ob manus sacris injectas, æternis ignibus ardere vidisti, & apertâ ejusdem tumba, draco illic tantùm, & horrenda ignis vestigia reperta sunt; ad suum verò posteà tumulum ægri sanitatem, per plura prodigia, reperêre: & ibidem lampas arsit, è quâ

qua tantũ olei, divinitùs increscentis, redundabat, quantum sufficiebat septem aliis lampadibus, ibidem ardentibus. Heu! quam dispar tua, & illius mors! jam ille beatam æternitatem non sperat, in qua tu es: jam tu infelicem æternitatem non times; in qua ille est. Ego inter utramque sum Medius; &adhuc dubius; illam spero, in qua tu es; illam timeo, in qua ille est! Ora, ut ita moriar, ut illam habeam, quàm spero, non illam, quam timeo. Am.

Omnes sancti Martyres Tyrii, flagra, bestias, ignem, ferrum, mortem pro Christo passi.

s. Paula V. quæ ut ab impuro quodam securum puritatis tuæ thesaurum servares, coram Crucifixo provoluta, & lacrymans, ac defendi petens, repentino barbæ faciem tegentis, miraculo (ut alias Wilgefortis V.) protecta es, ac barbata dicta, & miraculis celebrata.

Sancti Tyrannio, Silvane, Pelee, Nile, & Zenobi, illorum exhortatores, & socii ad gloriam.

sancti Pothami, & Nemesi, MM.

s. Eleutheri Episc. *M.*

s. Sadoth Episc. qui scalam, ad cælum usq; porrectam, vidisti, & te à *Simeone* magnis vocibus sursum invitari audisti; & posteà, unà cum centum viginti octo aliis capite plexus, eò, quò invitatus fueras abiisti.

s. Leo Episc. miraculis clare, cujus authoritate, miraculis damnatus est Heliodorus; qui ob ambitionem, dæmonem cervo vectum Christo prætulerat, factus apostata atq; veneficus, & sepè lapides, auro falso illitos, pro vero auro dabat, dolo postmodũ deprehenso, hunc in stola tua vinctum, & collo

ligatum tenens fornacemque; igne de cœlo evocato, succensam ingressus, ac undequaque, illæsus, pedem ex igne non priùs extulisti, quam illo in cineres jam redacto.

S Eleutheri Episc : ab hæreticis multa fortiter perpesse.

B. Ulrice, è parum probi exempli Sacerdote, Eremita, cilicio, lorica, jejuniis, miraculis, inclyte: qui ægram Virginem, per quietem illi visus, sanâsti; Regem autem de occulto quodam peccato monuisti. Ora pro me; ne quid lateat in me, quod displiciat Deo meo.

OMNES SANCTI &c. *pag* 40.

S. MARIA, *de quâ tuus cliens, hodie moriens, tenerrimâ plenus lætitiâ, cuidam dixit*: O si nosses quantum in morte afferat solatium Deiparam singulari studio coluisse! *Da, ut sic te colam, ut mors mea sit Deo, ac tibi gloria; mihi solatio, alli exemplo!*

21. *Feb.* 9. *Kal. Mart.*

S. Mauriti, & socii milites gloriosi, uncos, equuleum, flagra, flammas, tela, pro Christo, perpessi. Tu Photinum filium, coram te, propè paludem, ad palum alligatum, vespis, muscis, & sagittis metam factum, vidisti; & ipse, cum sociis, melle perunctus, palo alligatus, à vespis tandem ad mortem usque confossus es. O quod habeo, in supremo agonis certamine, defensores, si tu mihi, cum filio tuo, & sanctis copiis tuis, adfueris morienti! Ora, ut adsit mihi Imperator noster JESUS, & me, in ultima illa pugna, victorem faciat, & inter victores censeat in æternitate, Amen.

S. Pi-

S. Pipine, Dux Brabantiæ; juris peritissime, observantissime, Ss. Arnulpho, & Cuniberto consiliariis use; in cujus exequiis, per magnum omninò terræ spatium, in vento cereus nullus extinctus est.

s. Gondeberte Episc. qui quam ædificâras Ædem sacram, divino jussu, in Augustissimæ cæli Reginæ honorem, dedicâsti, & ibi religiosam Congregationem collegisti.

S. Irene V. S. Damasi Papæ soror, duodecim annos nata, legendi, orandi, jejunandi studio supra ætatem mirabilis.

Sancti septuaginta novem *Martyres*.

Sancti Verule, Secundine, Syrici, Felix, Servule, Saturnine, Fortunate, & alii sedecim Martyres.

s. Severiane Episc. M.

S. Petre, qui cùm ad te ægrum venientibus diceres: *Omnis qui fidem Christianam Catholicam non amplectitur, damnatus est, sicut & Mahumet pseudopropheta vester*; ab illis necatus es.

Sancti Maximiane, Felix, & Prateri, Episcopi.

s. Colga Conf. cui & per iter, (te in sarcinulâ portanda juvans) & in disputatione, (dum argumentis premereris] S. Paulus Apostolus apparuit, teque defendit.

s. Felix Ep. cujus nomen inter *Metenses* Apostolos ab Angelo literis aureis est exaratum; impetra mihi, ut pretiosis virtutum solidarum operibus, nomen meum libro vitæ dignum efficiam.

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 40.

S. MARIA, *sub cujus pallio vidit is, qui hodie mortuus est, cliens tuus tibi devotorum cœtum, sub tuo pallio congregatum. Iuva me, ut hîc, & in cælo tuorũ cœtu dignus inveniar!*

22. *Feb.* 8. *Kal. Mart.*

S.Margarita pœnitens, quæ viso inter lignorum struem vermibus scaturiente impuri tui lenonis cadavere, ad quod canis ductu perveneras, fœditates antiquas plurimis lacrymis, sub religiosa etiam veste abluisti: quæ vocem è cœlo hanc audisti recens conversa: *Non adhuc vocaberis Filia; quia filia peccati es: cum verò à tuis peccatis per generalem confessionem purgata fueris; te inter filias numerabo.* Tunc omnia tua peccata cognovisti, & octo dierum confessione conscientiam expiasti, à Christo *Filiæ* nomine appellata, & edocta, ut Eucharistiam, die S. Joannis Apostoli sumendam, te lacrymis, ad parvulum Jesum fusis, & silentio præparares, cui dixit idem Christus: *Filia mea, Pater meus diligit te & Mater illa Beatissima, cum omnibus exercitibus Beatorum.* Et alias: *Tu es tabernaculum, & cella Matris meæ. Tibi præcipio ut Matrem meam laudes, & honores; ipsam laudari, ac honorari ac facias, quantùm potes, quia est omni laude dignissima. Si posset in cœlo plus laudis & honoris dari creaturæ, id illius esset; quia digna est illa dulcissima Mater.* Ipsa verò Virgo Mater tibi dixit: *Filia, qui quærit Vnigenitum meum, & Dominum, me quærit; & qui habet ipsum me habet.* Te solatus aliquando Christus dixit, matrem tuam, pro qua orabas post decem annos purgatorii, salvam esse. Et inter alia, quæ tibi dedit monita, Margarita inquiebat. *lauda me non te, honora me non te: cum enim laudaveris & honoraveris me, laudabo, & honorabo te. Nulli cor tuum*

tuum rei præbeas; nisi mihi dilecto tuo. Solum me dilige meisque laudibus sis intenta, amabo te, & laudare faciam, Oratio recta requirit cor ab omni labe defacatum, cor humile, cor seperatum ab omni strepitu mundanorum affectuum. Quæ in latere Crucifixi, cor JESU intuita, & complexa, sursum ab eo ferebaris in cælum; & aliàs Crucifixo tuo toto amplexu inhærens, ab illoque rogata, *Quid vis, misera?* respons distì: *Nihil aliud præter te, Domine.* Ita demum felici pœnitentium morte (quæ semper Angelis jucundissima est) defuncta es. *Impetra* mihi verum spiritum pœnitentiæ; ut nullum peccatum parvum putem; nihil differam, sed hîc cito expiem omnia; ac tandem, felici morte pœnitentium, discedam ad gaudia Angelorum, *Amen.*

s. Petre, Antiochiæ sedens, ubi primùm discipuli dicti sunt Christiani.

B. Papia, S. Joannis discipule.

S. Aristion, Christi è septuaginta duobus discipule.

Omnes sancti Martyres in *Arabia* cæsi.

s. Abili Episcope.

S. Paschasi Ep. eruditione, virtutibus magne.

s. Petre Damiane, magne Officii Beatissimæ Virginis propagator, magne litterarum amice, corporis hostis.

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 40.

s. MARIA, *cujus sub Cruce dolores ut experiretur, impetravit.* B. Margareta pœnitens, *& in ecstasin doloris amorisque abrepta est. Doce me artem patiendi: pone me juxta te, in Cruce stantem dum patior!*

23. *Feb. 7. Kal. Mart.*

B. Nicolae, qui Christum coram videns, ab illo audisti; *Nicolae, sequere me*; & secutus es: cui Christus sacris operanti apparuit: quem familiares tibi Angeli, & Patrona s. Dorothea Virgo, contra impugnantes dæmones, confirmarunt, Tu sanctam illam, quam à Christo didicimus, & illam, quá Beatissima Virgo ab Angelo salutata est, orationem, tanto in pretio habuisti, ut *Pater noster & Ave Maria*, aliquando undecies millies pronuntiares. Ora pro me, ut ita & *Pater* illud ad Patrem Deum, & *Ave* ad Matrem Dei orem, ut & Patris illius, & *Matris*, bonus filius vivam, & moriar. *Amen.*

S. Sirene, capite pro Christo cæse.

Sancti septuaginta duo Martyres Sirmienses.

S. Polycarpe Presb. Martyrum exhortator.

S. Martha V. Martyr.

S. Lazare, qui, quòd sacras imagines pingeres, multa perpessus, manus candenti ferro ustus, iisdem divinitùs persanatis, ad pingendas S. Joannis Baptistæ, aliorumque sacras imagines, ad felicem usque mortem, sanctè es usus.

s. Felix Episcope.

S. Florenti Confessor.

S. Romana Virgo nobilissima, quam columba nivea, divino & utili tibi nobisque, miraculo, allocuta dixit: *Melior est via justorum, quàm Principum*: cui regulæ innixa, cælestem in antris vitam cum cælesti in aulis vitâ non sine miraculis, commutasti, necdum undecim annos nata, & exemplo

edo-

edocta id, quod ab eadem è cælo columba audieras; *Via justorum recta Sanctorum semita quâ ad cælum perveniunt, parata. Domine, omnes qui ad te confugiunt, non confundentur in æternum.*

s. Joannes Syre, qui in rupe, posteà per viginti quinque annos sub dio, habitasti; pane ac sale contentus, & cilicio, ac magni ponderis ferramentis, corpus affictans; à sole coctus, ac semper laborans, & orans, adeoque ab omni levamento alienus, ut amygdalum quoque arborem exscindi jusseris, ne quid solatii ab illa acciperes.

s. Finnene Conf. cujus dentem, qui tibi exciderat, terra obrutum prodidit lux cælestis: quo pro patria orante, patriæ tuæ hostes montibus obruti periêre.

s. Dosithee, qui spectatis pictis inferni tormentis, mulierem purpurâ splendidam, singula, quæ videbas, tibi explicantem audisti, & dixisti: *Domine, quid quis faciet, ut hæc supplic[illegible] evadat?* & respondentem audisti: *Jejuna*, [illegible] caris carnibus; *& jugiter ora, hasque p*[illegible] Cum illa videri desiit: tu verò consultrici [illegible] paruisti.

B. Petre Cardinalis Damia[illegible], qui post mortem inter Episcopos sedens, ac decens conspectus, dilecto cuidam tuo dixisti, An nescis quòd in camera s. Mariæ Virginis habito? Nam in ejus domo habito; & illius camerarium me esse profiteor.

s. Milburga, Virgo, filia Regis Merciorum.

OMNES SANCTI. &c. *pag* 40.

S. MARIA, quæ hodie in Beatarum album illata B. Agneti Politanæ *tres lapillos & omnia opera in sanctissimæ Trinitatis cultu firmandi consilium dedisti.*

Doce

Doce me in ſingulis quæ agam uſque ad mortem, amare ſuper omnia Sss. Trinitatem!

24. *Feb.* 6. *Kal. Martii.*

S. *Matthia* Apoſtole *Martyr*, prædeſtinatorum imago, ſicut Judas reproborum; tu, qui Judæ reprobi loco in collegiũ prædeſtinatorum electus es, quando ſuper te cecidit felix illa ſors, quando deſcendens è cælo ſplendor, tuoque capiti inſidens, te ſancto Apoſtolorum collegio, & magiſtratui adſcripſit: qui poſteà inter gentes, recuſato ad deliberandum, an à Chriſto deſciſcere velles, tempore, in Cruce ſuſpenſus, cæcos multos perſanâſti; lapidibus, & ſecuri percuſſus, ſortem hæreditatis æternæ adiiſti, cujus reliquias tractantis Sacerdotis digiti oleo fragrantiſſimo ſtillavére; qui negligenti cuidam Sacerdoti, ad vitandam deſidiam, cicatricem perpetuam in fronte inuſſiſti: cujus oſſa cum laterent; ſtellæ, ac fontis mirabilis, eo in loco erumpentis, indicio ſunt comperta, qui in medio aperti altaris Deiparæ aureâ veſte indutus, & velut quieſcens, conſpectus ab eo, qui te ſæpius viſitabat, eum ob illam pietatem laudaſti, ac dixiſti: *Matthias* ego ſum. Noveris autem, quòd te maneat merces maxima, & eos, qui me tuo exemplo adire voluerint. Nullius erit irritum votum, nullius vacua poſtulatio, id quod calamitoſi plurimi ſunt experti. Juva & me: fac ut ſim fidelis Deo meo uſque ad finem, ne cadat ſuper me ſors Judæ, ſed *Matthiæ*, ut felici morte hinc in ſortem Sanctorum veniam, quæ eſt ſors filiorum Dei. Amen.

S. Pri-

s. Primitiva M.

s. Sergi M.

sancti Donatiane, & Primule, qui baptizati in carcere, statim obiistis.

Sancti Montane, Luci, Juliane, Victorice, Flaviane, & socii, s. Cypriani discipuli, quibus paratus ignis, divinitùs extinctus est, charitatis vis visione monstrata est; qui denique Martyres cecidistis.

s. Prætextate Ep. Martyr.

s. Modeste Episcope.

s. Edilberte Rex.

s. Joannes præcursor, cujus hodie caput repertum est.

S. Joannes Theristes, qui Mauros Cruce immobiles reddidisti; thesaurum tuum in pauperes erogasti; messores, à quibus irrisus fueras, refecisti. pane ac vino nihil imminuto; post mortem etiam admirandus.

s. Bristane Episc. qui pro defunctis orans, cùm diceres, *Requiescant in pace*, voces, *Amen* è sepulchris dicentium, audivisti; qui sanus, repentinâ morte extinctus, post mortem, cum duobus aliis Sanctis, gloriosus apparuisti. Ora, ut mors me sanctè paratum inveniat.

OMNES SANCTI. &c. *pag.* 40.

S. MARIA, *cujus cliens ille hodie mortuus est, cui tu dixeras, securam esse ad cœlum obedientiæ cacæ viam: fac me vivere vitâ, & mori morte, obedientium Deo!*

25. Feb. 5. Kal. Mart.

S. Tarasi Princeps, postea Archi Præsul, pauperum pastor quotidie; & sæpè minister: quem etiam mortuum adeò timuit Leo iconomachus Imperator, ut, imperio tuo, se à Michaele quopiam occidi somniaret; id quod sexto post die expertus est, quando à Michaele Balbo confossus est. Charum tibi fuit pauperum nomen: ecce me pauperem, egentem ope tua, tunc maximè, quando moribundus jacebo egentissimus omnium. Ora ergò, ut in illo æternitatis adeundæ articulo, pauperculam hanc animam, in domum gloriæ, ac divitiarum suarum, inducat verarum divitiarum unicus fons Deus. Amen.

S. Victorine, qui in pilam foraminibus plenam inclusus, & undique punctus, gladio cæsus es M.

S. Victor qui manibus, & pedibus amputatis, in mortario confractus, amputata lingua cecinisti: *Benedictus es Domine in templo gloriæ!*

S. Nicephore in craticula igne assate, posteà gladio in frusta concise M.

Sancti Claudiane, & Dioscore, flammis incensi, Serapion, & Papia, gladio consumati MM.

S. Gerlande Ep. qui templum Deiparæ, ac s. Jacobo posuisti: cujus corpus, odore miro fragrans, post mortem aliò translatum est, posteaquam is, qui bis à te divinitùs monitus, id neglexerat, tertiò jussus, & ulcere percussus, tandem paruit, cujus se pulchro insidentis canis oculi exiliêre, ac ibidem ardens lampas, à cervo dejecta, nec fracta, est nec

ex-

extincta; & plures à morbis, ac dæmonibus liberati.

s. Anania, (& socii MM.) qui orabas, & lætus canebas, cùm fustibus ac virgis cæsus, ferro candente ustus, aceto ac sale aspersus, cilicio, è camelorum pilis contexto, perfricareris, cui Christus in carcere apparuit, & dixit; *Ego sum propter quem hæc pateris: noli timere; non te derelinquo*, & tibi benedictionem petenti benè precatus, dixit; *Benedixi te & concessi tibi, ut sit hereditas tua vita æterna*, qui cum Petro socio tuo per tres dies ardenti balneo inclusus illæsus, cingebaris multitudine Angelorum. Commenda me Christo, ac Angelis, & impetra mihi benedictionem æternam.

s. Cæsari, mathesi ac medendi arde præstans, deinde Quæstor Bithyniæ; qui à morte, fratri tuo, S. Gregorio Theologo, per quietem, inter agmina Beatorum, clarus, excelsus & exultans, conspectus es.

s. Aldetrudis Virgo, super quam stellæ ascendere ac descendere sunt conspectæ; & s. Petrus tibi ac tuis monialibus *perpetuam* contra hostem antiquum *protectionem* promisit, super cujus labia cælestis lucidi mellis favus est visus; tuque conspecta es, quasi per scalas erectas cælum conscendere nitereris.

s. Walburga V. oleo de corpore tuo manante mirabilis.

s. Avertane, religiosum statum Seraphini Angeli jussu, amplexe: quo religiosam vestem induente, auditæ sunt Seraphicæ voces canentium Angelorum; *Gloria in excelsis Deo!* & visa est Regina cæli

porre-

porrectâ manu tibi benedicere, teque in filium suum recipere, quem morientem Jesus, Maria, & Angeli invisêre, atque è splendidis Christi Vulneribus emicantes radii perfudêre, Christo tibi dicente: *Veni, veni, anima dilecta, mihique devota, in requiem Salvatoris tui; intra hoc apertum latus, ad recipiendum præmium tuis laboribus.* Post mortem verò & ipse gloriosus apparuisti, unà cum Christo & Sanctis, Romæo tuo socio morienti. Impetra & mihi benedictionem supremam à cæli Reginâ: introduc me morientem in Christi Vulnera; ut ad ejus cor requiescam in pace.

Sancti Donate, Juste, Herena, & socii Martyres.

S. Felix Papa tertie, qui S. Tharsillæ apparens illam ad cœlestia regna vocasti.

OMNES SANCTI. &c. *pag. 40.*

S. *MARIA, quæ hodierni tui* S. Gerlandi *Ep. precibus annuisti, & crystallinam pyxidem fractam restituisti, unde* Gerlandus, *clienti suo supplici per quietem se offerens, dixit,* se impetrâsse, quod petebat, meritis sanctissimæ Dei Genitricis. *Doce me amare, doce me orare, doce me impetrare!*

S. Maria, *cujus Rosario gestando, & piè recitando, addicta hodierna tua cliens* Cæcilia, *fragrantes, tanquam à rosis manus habere post mortem, comperta est. Perfunde me castis tuis odoribus, ut etiam alios traham exemplo in odorem tuum!*

26. *Feb. 4. Kal. Mart.*

S. Porphyri, cui ad Christum (quem Crucifixum videbas) dicenti: *Domine, memento mei, dum vene-*

veneris in Regnum tuum! bonus ad Crucifixi dexteram latro osculum, Christus verò osculum, & Crucem suam ferendam dedit. Memento, quæso, mei apud Crucifixum JESUM. Memento mei: jam enim venisti in regnum tuum, id est, tibi paratum à constitutione mundi. *Amen.*

s. Norberte, qui ab Honorio II. hoc die sacri tui Ordinis confirmationem obtinuisti.

JESU, MARIA, JOSEPH, quorum in Ægyptum fugæ memoria hodie in Hispania, festo ad id instituto, recolitur.

B. Nestor Ep. pro grege Christi Orator sancte, qui equuleo crudelissimè tortus & crucifixus clamabas: *Cum Christo Deo meo semper fui, & sum, & ero;* è Crucis etiam cathedrâ multa dicens ad Christianos, flexis humi genibus orante omni populo, ipse in Cruce orans, & dicens *Amen*, crucifixus obdormisti.

Sancti Papia, Diodore, Canon, & Claudiane, MM.

Sancti Fortunate, Felix, & alii viginti septem MM.

s. Alexander Ep. gloriose senex, Ecclesiæ Catholicæ defensor acerrime.

Sancti Faustiniane, Porphyri, Andrea, Episcopi.

s. Victor, quo necdum nato dixit ex energumeno dæmon: Quare nos torques præ initio nascendi, s. Victor; Qui inedia & orando fessus, per quietem, in cælo aperto, vidisti Crucem Domini, aureo splendore, ac lapidibus pretiosis, utrinq; illustrem, vocemque audisti: Hæc quæ cernis, animæ sunt Sanctorum, qui pro Christo Domino stolas

suas

ſuas in Sanguine Agni laverunt: qui Orationem Dominicam in cælo cantari audiſti, *Angelis accinentibus: Sed libera nos à malo.* Non habent illi malum, à quo liberentur; nec tu; ſed me orare doceat. Impetra mihi ſpiritum ita orandi, atque ſi artem orandi ab Angelis, & à Sanctis omnibus, didiciſſem.

OMNES SANCTI.&c.*pag*.40.

S. MARIA, *in cujus honorem* Philippus Auguſtus *Galliæ Rex Iudæos, capitales hoſtes tuos, toto regno ſuo hodie exturbari mandavit. Da id precibus meis Regina auguſtiſſima, ne ullum ego hoſtem tuum, vel momento uno, habitare patiar in animâ meâ!*

27. *Feb.* 3. *Kal. Mart.*

S Athanaſia, S. Andronici ſancta conjux, cujus duos filios, cælo receptos, vidit S. Julianus Martyr. O ſim & ego filius tuus, quem cælo receptum videas! Juva ergò me, jacentem in morte, ante portas æternitatis, ut illæ mihi aperiantur feliciter; ſimque illic, unà cum filiis tuis, & tecum, inter filios Dei. *Amen.*

Sancti Alexander, Abundi, Antigone, & Fortunate, MM.

s. Juliane, qui dum podagricus à duobus famulis in ſella geſtareris, cum famulorum altero in camelis circumductus, poſt flagra combuſtus es.

S. Beſa miles, pro Chriſto, & Martyrum defenſione, capite plexe.

s. Leander Ep. Viſigothorum Apoſtole.

Sancti Baſili, & Procopi, ſtrenui ſanctarum imaginum defenſores.

S. Bal-

S. Baldomere, cujus sepulchrum miraculis illustratur: qui cùm fabrum ferrarium ageres, ipsa etiam artis tuæ instrumenta dispersisti & dedisti pauperibus: cujus, ad operis cujusvis principium, & aliàs, perpetua vox erat; *In Nomine Domini! Deo gratias semper!* stupendis post mortem, ad omnes morbos pellendos miraculis celebratissime.

S. Thalelæe, qui miraculis, ac tui afflictatione celebris, in cista è duobus asseribus rotisque compactâ, inclusus, per decem annos latuisti; ad æterna, ut ajebas, tormenta, hisce minoribus corporis cruciatibus, redimenda.

B. Joannes, qui puellæ, sub mundo muliebri cilicium gestantis, exemplo exarsisti, & religiosam, asperamque vitam complexus, è cœlo tibi dici audisti: *Sustollam te super altitudines terræ & cibabo te hæreditate Patris tui*, qui extra festa quotidie jejunabas, pane frigidaque aqua contentus. Ora pro me, ut grave hoc meum cor sustollat Deus super altitudines terræ, ac doceat totum pendêre è cælo à corde suo.

OMNES SANCTI. &c. *pag:* 40.

S. MARIA, *cujus imago à S. Gregorio Pontifice hodierno s.* Leandro *ægro, pro morbi levamento missa, nunc in Hispaniâ Gaudelupa mirabilia operatur. Doce me in imaginibus tuis te sanctè revereri, & miraculorum loco, id quod ad salutem mihi maximè necessarium est, impetrare!*

28. *Feb. prid. Kal. Mart.*

SS. Lupicine, & Romane, qui mortuis (qui vos ad nuptias urgebant) parentibus, in eremū

abiiſtis, dæmonum victores tyrones. S. Lupicine cui defoſſas humi opes, ad uſum ſanctum, oſtendit Deus. S. Romane, qui duodecim à religione transfugas precibus revocaſti;& dum leproſorum pedes lavares,eos perſanaſti.Orate pro me,ut à Deo meo, per nullum peccatum, ſim transfuga: ut nunc, & maximè in morte, impugnantem me dæmonem ſemper vincam,ſemper pro victoriâ Deo meo gratias immortales acturus. Amen.

Sancti Macari. Rufine, Juſte,& Theophile,MM.

Sancti Cærealis,Pupule, Cai,& Seraphion,MM.

Sancti Alexandrini Presbyteri, Diaconi, & alii plurimi,qui,cum peſtis ſæviſſima graſſaretur,morbo laborantibus miniſtrantes libentiſſimè mortem oppetiiſtis; quos, velut Martyres, religioſa pioꝛum fides venerari conſuevit.

S. Auguſtine Epiſc.

S. Oſvvalde Epiſc, quem dæmon, nec vocibus beſtiarum,nec Angeli ſpecie,decipere potuit:cujus ſanctitatem Fudbertus Abbas, à mortuis reſurgens, teſtatus eſt, & poſt horas aliquot,iterùm migravit à vita: cui anima Religioſi cujuſdam gratias egit, quòd precibus tuis è purgatorio ad requiem evolaret:cui ſacrificium incruentum celebranti Angelus miniſtravit:qui, inter lavandum pauperum pedes, mortuus, & columba, ſphæraque ignea comitantibus, ſepulcro illatus es: cujus feretrum, per urbem circumlatum, peſtem fugavit. Doce me talem vitam ducere qualẽ laudarent Sancti, ſi è cælo huc redirent, ac à me, de me, interrogarentur.

OMNES SANCTI,&c. pag. 40.

S. MARIA, ad quam ſalutandam populum invitante

tante hodierno cliente tuo, sex mensium infante, Ave Maria *distinctè recitavit. Fac me vincere humanos respectus, ac teita, ut decet, salutare!*

29 *Feb.* vel *pro die bissextili.*

S. *MARIA*, & omnes Sancti, Beatissimæ Virgini, olim in hac vitâ, singulari pietate addicti: impetrate mihi amorem illum vestrum.

2. s. Angele mi Custos, & omnes sancti beatorum spirituum ordines; ac omnium eorum Custodes, qui mei amici sunt, vel mecum unà versantur, & omnium prædestinatorum: juvate me, ut salver.

3. Omnes sancti pœnitentes, innocentes, virgines; item conjugati olim; & omnes, à quibus aliquod beneficium unquam accepi; impetrate mihi cor contritum.

4. Omnes Sancti, quos in morte, majoribus, quàm alios, doloribus, vel cælestibus deliciis, cumulavit Deus: juvate me morientem.

5. Omnes Sancti, quibus in morte Christus, vel Beatissima Virgo, vel Sanctorum aliquis, apparuit; & ad benè moriendum juvit: adeste mihi in illo articulo.

6. Omnes Sancti, aliquam calumniam, vel tentationem fortiter passi: orate pro me.

7. Omnes Sancti, qui, eos qui in horrendo mortis agone versantur, soletis singulariter adjuvare: juvate & me.

8. Omnes Sancti, singulari hic olim doctrinâ, cum eximiâ virtute conjunctâ præstantes; orate pro me.

9. Omnes Sancti, qui ad beatam vitam per ignem purgatorii penetrâstis: orate pro me.

10. Omnes Sancti, qui eâ, cui hoc mense incumbo, virtute singulariter excelluistis: orate pro me.

11. Omnes Sancti, qui heroicis quibusdam virtutis actibus eminuistis, orate pro me.

12. Omnes Sancti meæ nationis; omnes Sancti, de quibus aliquid unquam dixi, scripsi, audivi; quos unquam visitavi, invocavi; quos à me singulari studio coli vult Deus, & Beatissima Dei Mater; facite, ut vos imiter.

13. Omnes Sancti qui inter prædestinatos omnes Deo estis proximi, atque charissimi: orte pro me.

14. Omnes Electi Dei, cælo jam recepti, qui me hic aliquando ad salutem quacunque in re juvistis, vel per me fortè à Deo adjuti estis: orate pro me.

15. Omnes Sancti, qui in eo, in quo ego sum, vitæ instituto, Deo excellentissimis modis servistis: facite ut sic serviam & ego.

16. Omnes Sancti, qui dùm hic viveretis, universæ cælesti curiæ singulari studio colendæ addicti fuistis: orate pro me.

17. Omnes sancti Religiosorum Ordinum Fundatores, & Religiosi, ac Religiosæ omnes: orate pro me.

18. Omnes sancti, singulares amoris Dei magistri: impetrate cordi meo amorem illum.

19. Omnes Sancti; qui divinis inspirationibus, singulari quodam studio, & accuratione respondistis: juvate me, ut obediam Deo.

20. Omnes Sancti, qui pro apertis & occultis Dei beneficiis maximè grati, ac illis optimè usi fuistis: orate, ut & ego sic illis utar.

21. Om-

21. Omnes Sancti, qui me maximè juvare potestis, ad Dei voluntatem implendam secundùm cor Dei: orate pro corde meo.

22. Omnes Sancti, qui Sss. Trinitati, s. Crucifixo, Ss. Eucharistiæ Sacramento, singulari pietate addicti fuistis in hac vita: facite, ut sic amem & ego.

23. Omnes Sancti, qui in hac, in qua ego nunc sum, ætate, ad æternitatem feliciter abiistis: facite, ut eò perveniam.

24. Omnes omninò Sancti, & Sanctæ Dei, quorum nomina sunt in libro vitæ: impetrate mihi, juvate me, ut Deum vobiscum videam, & amem in æternum.

OMNES SANCTI hodiernæ, ac ejus diei, quâ moriar: obtinete mihi à Deo, qui charitas, & ignis consumens est, verum amorem Dei, hoc die, ac die mortis meæ. Amen.

S. MARIA, *cujus nomini, s.* Osvvaldus *Episcopus, (hoc die, post lotos pauperum pedes, mortuus) vir ab Angelo ad Sacrum ministro à peste compressâ liberatâ è purgatorio animâ, pulsis pane benedicto febribus, mortuo suscitato mirabilis, Wigorniæ templum erexit: cujus tui templi ædificationem impedire volens dæmon, super lapidem, instar æthiopis consedit, effecitque, ut lapis moveri loco non posset; donec fusis ab* Osvval-do *precibus fugatus est: & lapis, quem octoginta viri movere loco non poterant, à paucis per facilè motus, ac fabricæ tuæ accomodatus est,* Osvvaldus *verò ibi sub umbra alarum tuarum Religiosos collocavit. Tolle Domina, tolle omnia, quæ me impediunt, ne tibi serviam ne te amem ita, ut Deo placet!*

ANNI CÆLESTIS.
MARTIUS.

I. Marti Kalendis Mart.

S. Siviarde Abba, qui, in mortuali lectulo, ajebas ad tuos; *Videbit quivis, quàm benè nobis voluerit Deus*, & illos multis, ad perseverantiam, & æstimationem gratiæ Dei, hortatus, felici adeò morte discessisti, ut anima tua, Sanctorum Apostolorum, Petri & Pauli manibus, cælo inferri sit visa. Ora, ut æstimem gratiam Dei, & semper, ut gratia Dei in me vacua non sit, sed plena semper, usque ad mortem, usque ad æternitatem, in qua verè *videbit quivis, quàm benè nobis voluerit Deus*, Amen.

Sancti ducenti sexaginta MM. sagittis interfecti.

s. Angele Custos, cujus cultui hodiernus dies à pluribus in Hispania dedicatur.

s. Isci Ep. M. qui celeberrimæ consecrationi altaris s. MARIÆ de Columna Cæsaraugustæ interfuisti.

s. Leo quem adventantem è sæculo, divinitus monitus Abbas, *Luca* nomine, ac sancta veste donavit, & dixit: *Ecce fili mi, ascendisti in Crucem Domini tui, vide, cui te socium adjunxisti.* Cujus, amore Dei laborantis, manum mordens serpens nil nocuit, qui cum esurientibus dedisses panem, quem unicū habebas, vesperi cælitùs pastus es, repertis tribus panibus candidis, & calidis, ad quem ne proficisceretur quidam jumenti, quo vehebatur, pedibus se dæmon

dæmon ſerpens implicuit: qui ſolidâ virtute, perſanatis ægris, energumeniſque mirabilis, centeſimo ætatis, octuageſimo vitæ aſceticæ anno; inter circumfuſam odorum è cælo fragrantiam, morte, quam prædixeras, exceſſiſti.

S. Donate, piâ lectione ad virtutem accenſe, poſteà M.

Sancti Leo, Donate, Abundanti, Nicephore, & alii novem MM.

Sancti Hermes, & Hadriane, MM.

S. Eudocia, gladio M.

S. Antonina, poſt varios cruciatus, in vaſe quodam incluſa, in paludem demerſa.

S. Svviberte Comes, Ep. ante, quàm naſcereris, matri, ſtellæ, Germaniam & Galliam illuſtrantis, ſpecie præmonſtrate; qui mortuum precibus, & oſculo ad vitam revocâſti; qui poſt mortem muto adoleſcenti viſus es, eumque ſanâſti, os ejus ungueus, ac dicens; *Dominus* JESUS, *qui tetigit linguam muti, det tibi loquelam tuam; in cujus nomine dico tibi: Loquere, & da laudem Deo Creatori tuo*, cujus mortui manum oſculatus mutus & ſurdus, audiendi loquendique facultatem recepit, qui nobili ægro lunatico apparuiſti, eumque in bono propoſito nutantem confirmaſti, corpore etiam perſanato, cùm illi diceres: *Quare cor tuum illicitis cogitationibus laniare non reformidas? Non incipientibus, ſed in bono perſeverantibus, meritorum præmia conferuntur.* Et ille ſanus ſurrexit, ac in Religioſo Ordine, in probatiſſimi exempli virum evaſit, Firma cor meum, ut perſeveranter adhæreat Deo.

S. Albine Ep. qui dæmonem; oculo fæminæ, in-

ſtar veſicæ ſanguineæ, incumbentem fugâſti ad cujus ſepulchrum tres paralytici ſunt curati, poſtquam eorum uni à cæleſti viro dictum eſt: *Quouſq; dormitas, & ſanus fieri non deſideras?* qui in vita cæcum dæmoniacum, & alios cæcos ſanâſti, mortuum ſuſcitaſti, & ne impiæ ſententiæ ſubſcriberes, à Deo per mortem ereptus es.

s. Herculane Episc. M. decollate, cujus caput, ſinè ullo inciſionis veſtigio, quadrageſimo poſt mortem die, corpori conjunctum, repertum eſt.

s. Dominina V. quæ in materni horti ergaſtulo, tanta modeſtia in oculis; & lingua, cuſtos habitaſti, ut vultu ſemper tecto eſſes, ne videres ullius faciē, vel ne à quopiā viderêre; nec ulli, niſi neceſſitate urgente, idq; ita modeſtè, ut ægrè audirêre, locuta es.

S Rudeſinde Episc, in cujus morte vox Cælitum, *Te Deum laudamus* canentium, eſt audita: ad cujus ſepulchrum fuſa oratio fecit, ut quidam, qui Religioſos tuos vexabat, eodem tempore, in lecto, ſtrepitu magno, medius crepuerit.

OMNES SANCTI &c. *pag. 40.*

S. MARIA, *coram cujus imagine* [...]*ans hodiernus* S. Leo Lucas, *elephantiacum illicò perſanavit. Sana me, Domina: arce à me lepram cordis, & quicquid non placet oculis Dei mei. Doce me, coram tuis imaginibus, ita orare, ut pro me, ac pro aliis cor mundum obtineam!*

S. MARIA, *quæ in* Cubas, *Hiſpaniæ, puellæ, animalia paſcenti, hodie & per octo ſequentes dies, apparens, templum illud miraculis celebre tibi condi juſſiſti. Ora Deum, ut dignetur uti operâ meâ ad gloriam ſuam, & tuam licèt ſim vilis, & nihil!*

S. MA-

S. MARIA, quæ, hoc die, cum Ss. Seraphinis & Ss. Paulo, Benedicto, ac Maria Magdalena, S. Franciscæ *conspecta, ejus caput in tuo sinu fovisti, eam* aureo tuo pallio *amanter texisti*, *ac* pretiosum Christi monile es *dixisti. Socias verò illius monuisti, ut haberent* cor mundum, *animumque sincerum; & nihil eis fore difficile, si non desit eis* amor, *atque* humilitas. *Tege me Domina: orna cor meum aureo monili amoris. & humilitatis!*

2. Martii. 6. Nonas Martii.

S. Ceadda Episc. qui extremi & horrendi Judicii semper memor, ad ventos, tonitrua, fulmina, velut horrendi illius diei imagines, in preces, lacrymas solvebaris. Tibi, septem ultimis vitæ diebus, & frater tuus jam ante mortuus, & *A*ngeli musici, te ad cælum jucundo cantu invitantes, adfuerunt, eoque te abduxerunt. Sancte Ceadda, invita me, una cum Angelis, & fratre tuo; ut per mortem beatam, abeam ad illam patriam, quæ supra ventos omnes, supra omnia fulmina est; ubi nullus quicquam timebit unquam. Amen.

Sancti Jovine, & Basilee, MM.

Omnes Sancti, Romæ diu cruciati, & capite damnati, MM.

Sancti Paule, Heracli, Secundilla, & Januaria, MM.

s. Luci Ep. Absolon, & Lorgi MM.

sancti Octuaginta sævissimè cæsi MM,

s. Simplici Papa.

s. Macra V. M. cui laniatum pectus Angelus persanavit.

s. Carole Bone Comes, qui *omnibus diebus operum*

rum tuorum initia Domino dedicabas : qui nudipes ad mensam pauperibus ministrabas; quotidie quinque pauperibus novas vestes dabas: ad cujus, cùm coram B. Virginis arâ orares, trucidari corpus paralyticus sanatus est: cujus pileo febres depulsæ sunt: impetra mihi cor plenum sanctæ humilitatis, & charitatis.

S. Luca Casali, cui, cùm jam cæcus iter faceres; illudere volentes comites tui, dixerunt: populum concionem à te præstolari, tu verò conscenso tumulo de Deo ardenter locutus, cùm finem dicendi faciens diceres, *per omnia sæcula sæculorum*; saxa circum omnia (ut cæco Bedæ aliàs) disertè respondere, *Amen Amen*; & comites tui eo miraculo ad bonam frugem conversi sunt: ac postea ibidem templum sub tuo nomine erectum est.

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 40.

S. MARIA, quæ de hodie mortuo Arnulpho *tuo, jam olim dixeras*: Vas electionis est mihi iste. *Elige me, munda me; ut sim vas electum à Deo, in honorem tuum!*

3 *Martii.* 5. *Nonas Martii.*

S. Kunegundis Imperatrix, Virgo Conjux, quæ illæsis pedibus, candenti ferro inambulasti; post s. Henrici Imperatoris conjugis mortem, Religiosa in cœnobio vixisti; moritura s. Henricum, conjugem tuum virginem, è cælo tibi præsentem vidisti, & secuta in cælum es, corpore tuo in ejus sepulchrum illato, & illo tibi locum penès se ultrò parante, ut Romæ s. Stephano s. Laurentius: ac posteà

vitam

vitam ad tuum tumulum mortui reperére. O reperiam ego per tuas, & sancti tui conjugis, preces in morte mea vitam! ut in æternitate vitæ vivam cum Henrico tuo, & tecum, apud vitæ fontem Deum, cujus melior est misericordia super vitas. Am.

S. Leo Ep. M. cujus caput pro Christo amputatum, fontem excitavit, & Angelo comite, à te ad unum studium est deportatum.

S. Titiane Ep: qui morte, illo die quo prædixeras obitâ, cuidam apparuisti gloriosus è cœlo.

Sancti Marine miles, & Asteri senator, Martyres.

Ss. Hemiteri, & Chelidoni milites Martyres; quorum capita cùm lictor amputaret, in omnium conspectu, alterius vestrum annulus aureus, alterius candidum linteum, in cælum evectum est.

S. Caluppane, super cujus, in saxo concavo habitantis, caput serpentes cadebant collo tuo ligati, nec tamen te lædentes: cujus ori draco os suum conjunxit; sed à te Oratione Dominica est fugatus.

Sancti Felix, Luciole, Fortunate, Marcia, & socii MM.

Sancti Cleonice, Eutropi, & Basilisce, milites, pro Christo crucifixi.

S. Winvvaloce Abba, regia stirpe nate, cui S. Patritius, vultu Angelico auro coronatus apparuit; qui tu etiam discipuli matrem ut sanctiùs moreretur, à morte revocasti ad vitam; & sancta, quam ab Angelo didiceras, morte ad aram, post acceptum sacratissimum viaticum, obiisti, ad quam te, centies de die, & nocte centies orando flexis genibus, præparabas, & ad quam te invitans An-

gelus, dixit: *Euge Winvvaloce serve Dei! Cælicolæ omnes te civem cupiunt habere suum.*

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 40.

S MARIA, *quæ impetratâ hodierno tuo* Ruperto *sapientiâ monuisti*; ne torpescas otio; & gratiam tibi datam ne negligas. *doce me scire, quæ scire debeo, nescire quæ debeo ignorare, & ut gratia Dei in me vacua non sit!*

4. *Martii.* 4. *Nonas Martii.*

VIrginee Casimire, qui summa hieme cilicio potius, quam regia veste, indutus, templa nudipes obiisti: cui pro lecto regio, terra placuit; qui mori virgo maluisti, quam non virgo vivere: qui candidatus, etiam post mortem, eques præsentem opem tuis pugnantibus attulisti: cujus integrum corpus, plurimis post annis, repertum, & super pectus inventus Marianus ille tuus hymnus, quem tu *omni die* MARIÆ dixisti. Scio, illa me morientem sequentur, usque ad æternitatem, quæ, Dei, quæ MARIÆ honori, amori, dixero, fecero. Adsis mihi, in agone pugnanti, & pro me ora, ut ita *omni die dicat MARIÆ mea laudes anima*, ut in supremo vitæ die, ad sinum *MARIÆ* vadat *devotissima*. Amen.

s. Agathodere M. qui, quemadmodùm s. Jacobus, magister tuus apud Cæsaraugustam, & Bracarum; ita ut Tarraconæ, augustissimæ Dei Matri templum condidisti, ac sub ejus nomine illud Deo dedicâsti.

s. Luci Papa; decollate.

Sancti nongenti Romani MM.

Sancti Cai, & Palatine, in mare demersi, & alii viginti Septem MM.

s. Hadriane, qui post horrenda, & varia supplicia, & mortem, Nataliam conjugem tuam ad cælum invitans, dicebas: *Veni ad nos in requiem tuam*: & illa te felici morte secuta est invitantem.

Sancti viginti tres MM. crurifragio consummati.

Sancti Archelae, Cyrille, & Photi, MM.

Sancti Basili, Eugeni, Agathodore, Elipidi, Ætheri, Capito, Ephræm, Nestor, & Arcadi, omnes Episcopi Martyres.

s. Petre Abba, qui ut Deo soli vacares, Episcopatu deposito, carnem loricâ, & jejuniis domans, ter millenis plures Christo religiosè initiâsti discipulos qui eversâ naviculâ, in mare cadens, siccus per aquas ad littus evasisti; qui tepido Religioso per quietem visus, cum cecidisti, & spiritu ferventem fecisti: à Religioso morientem, dæmonem, in avis nigræ specie illi visum aquâ lustrali fugâsti: post mortem obtrectatori cuidam in somno visus, eum verbis, ac verberibus corripuisti: ali magnæ virtutis Religioso sæpius conspectus, eum, si qua in re erraret, monuisti: alium inquietum, minaciter arguisti: alium negligentem, ad orandum pro mortuis, & ut se ad mortem, brevi obeundam præpararet, hortatus es. Excita & me; hortare, mone, move, corripe: fac, ut ita flagranter ac sanctè agam, atque si te vel alium è cælesti curiá præsentem hortatorem viderem, & audirem, nam verè adest mihi me videns, Deus; licèt illum ego non videam.

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 40.

S MARIA, *cum cujus quotidiano hymno, pectori imposito*, S. Casimirus *voluit sepeliri. Fac ut ita faciam* omni die, *quæ amori tuo facio, ut etiam post mortem illa tibi honori, mihi solatio sint!*

5. Martii 3. Nonas Mart.

S. Canon, cum virgine conjuge virgo, qui S. *Michaelem* Archangelum magistrū habuisti, quomodò ad baptismum, quomodò ad sacrosanctum Christi Corpus, debeas accedere: qui parentes tuos, à te Christo genitos, ad illum Martyres præmisisti & magnum in dæmones imperium habuisti. Doce me ad altare sanctum accedere, prout à magistro tuo Angelo didicisti: ut fugatis victis dæmonibus, ita nunc divino illo Sacramento utar; atque si pro viatico æternitatis illud moriens acciperem: moriens verò ita ultimo illo viatico muniar, ut habeam felix iter in itineribus æternitatis ejus, quem in Sacramento adoro, & utinam sancte! sumo, Dei mei JESU, Amen.

S. Drausi Ep. ad cujus sepulchrum; qui pernoctabant, redibant semper de hoste victores.

S. Eusebi Abba, qui, admoto S. Hieronymi magistri tui cilicio, tres mortuos excitâsti: qui Sacramentis & eodem cicilio munitus, humi in agone mirabili jacuisti, cum hoste tremendo anxius confligens, & clamans: *Non faciam, mentiris.* Tùm fugatis à S. Hieronymo, tibi apparente, hostibus, agonem difficillimum feliciter consummasti, & mortuus miraculis coruscasti, magnum in agone laborantium timoris, & spei documentum.

S. Pho-

S. Phoca ex hortulano M. cujus basilicæ januam, si quispiam à serpente morsus attigerit, confestim sanatur.

s. Hadriane M. leoni objecte, gladio jugulate.

s. Eusebi Palatine, & alii novem MM.

s. Theophile Ep. sapientissime, atq; sanctissime.

s. Gerasime Anachoreta.

s. Virgili Archiep. qui dæmones, sub specie navi-culariorum, onustam navem adductam tibi ostentantium, insidiosos, Cruce fugâsti; plures mortuos suscitâsti: ad cujus preces crepuit serpens, qui multos occiderat: qui cilicio semper indutus, cæco etiam lumen reddidisti. Pelle à me insidiosos dæmones, quacunque specie mihi infesti sint: & cordi meo impetra lumen Dei, ac spiritum mortificationis.

s. Wenceslae, hodie translate Rex, Martyr, & Virgo, quem s. Ludmilla avia persancte educavit: quem, in Imperatoris aula despectum, Angeli aureâ Cruce signatum deducere sunt visi; qui s. Vito M. Pragæ templum nobile extruxisti; cui equum conscendenti, hastam ab Angelo porrigi vidit hostis tuus, ac vocem, quâ monebatur, audiit; *Ne feri.*

OMNES SANCTI. &c. *pag.* 40.

S. MARIA, *è cujus, hodie mortui clientis ore tres flores gelsimini & sacrosancti* JESU *&* MARIÆ *nominibus insignes, excrevêre. Effice tuis precibus, ut* Jesus *mihi sit Salvator* JESUS; *& tu sis mihi* MARIA, *Domina, illuminatrix, imitatrix Dei stella!*

6. Martii. Pride Non. Martii.

S.Coleta, cui peccata Orbis, & destinata illis supplicia, divinitùs sunt ostensa: quam s. Franciscus Christo,& Christi Matri sistere,ac, pro restituenda sanctimonialium disciplinâ, supplex petere est conspectus; Christo ejus precibus annuente, à quo missos tibi pro cœnobio aliquando quingentos aureos accepisti;cui omnes, quibus arctiorem disciplinam persuaseras,cùm morerentur, apparebant: quæ aliquando etiam S. Annam, cum MARIA, JESUM, parvulum manu tenente, vidisti; è cujus orantis ore visus est sol magnus oriri: quæ aliquando divinam hostiam glutire non priùs poteras, quàm divinæ inspirationi annueres: quam ægram Angeli, ac Deipara demum invisit, & amplexu, ac osculo salutavit; circa quam de Christi, Deiparæ, ac Sanctorum humilitate, aliisque virtutibus loquentem, conspecti sunt sedere duodecim Apostoli;quibus in cœlum redeuntibus, tu quoque visa es in sublime attolli. O religiosi zeli Virgo, exosa tepidis, & dæmonibus, familiaris Angelis, aliisque Cælitibus; à s. Joanne Apostolo, Christo per annulum desponsata;cui ipse se in Eucharistia dedit; quæ JESUM, è MARIÆ sinu, vulneratissimum, in sinum tuum accepisti,& MARIAM, Christi tormenta sigillatim narrantem, Christumque à maturis, & à pueris tam fœde tractatum,audisti: unde & Martyrum perpeti tormenta petens, dolores atrocissimos persensisti: quam denique morientem, velut Sponsam suam, domum

domum in cælum duxit Jesus. Ora ut vita, & mors mea, non sit vulneri, sed solatio tuo ac Deo meo Jesu & Mariæ; ut & ego in mortis hora deducar in domum illam, in qua beati sunt, qui habitant: ut, unà cum illis, in sæcula sæculorum, laudem te, qui Sanguine tuo æternitatem illam emisti pro me Redemptor Jesu! Amen.

Sancti Victor, & Victorine, qui post multa tormenta, cum Claudiano, & Bassa ejus conjuge, in triennali carcere Martyres expirâstis.

s. Marciane Episc, *M.*

s. Evagri, lux Episcoporum.

s. Conon, qui pedibus clavis confixus ante currum currens in oratione spiritum reddidisti.

Sancti quadraginta duo Martyres.

s. Basili Episc.

s. Fridoline, qui Ursum, virum nobilem, à mortuis, ut tibi testis pro justitia fieret, revocâsti.

s. Rosa Viterbiensis V. hodie mortua, & quarta Septembris translata: è cujus tumulo, cæcis illuminatis, ac mortuis suscitatis, mirabili, manna manavit, & oleum contra morbos: cujus corpus à morte integrum, postea etiam ab igne, vestis, ac omnia in cineres redigente, mansit illæsum, illumina me, suscita & accende igne illo, cujus esca cor est.

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 40.

S. Maria, *qua hodierna tua* Coletæ *linguam solvisti: ô esto gubernatrix lingua mea, ut cum Deo, & cum hominibus, ita loquatur, uti Deus vult!*

7. Martii. Nonis Mart.

S. Thoma. Theologe Angelice, qui, ubi fœminã ardenti titione è conclavi expulisti, de carne victor, ante Crucem flexis genibus orans, per quietem ab Angelis tibi constringi lũbos sensisti, & omni postea semper carnis molestiâ caruisti; quem è cælo visens Romanus, tuus olim socius, dixit, se in purgatorio, negligentiæ cujusdam pœnas dedisse per quindecim dies: rogatus à te, de visione beatâ, respondit; *sicut audivimus, sic videmus in civitate Domini virtutum.* Tu nunquam te studio priùs, quam oratione præmissâ, dedisti; & à Crucifixo audisti; *Benè scripsisti de me Thoma; quam ergò mercedem accipies?* & respondisti *Non aliam, Domine, nisi te ipsum.* Tu ecstasibus admirabilis, lectioni sanctæ addictissimus, & divinitus in multis edoctus, Sancti Petri, & Pauli, aliorumque apparitionibus felix, à sorore, brevi te ad gloriam æternitatis evocandum, intellexisti: & post mortem sanctam, cum Angelis, & Alberto, magistro tuo, coram throno Divinæ Majestatis, à *B. Mathilde*, Cisterciensi Virgine, conspectus es; ac postmodùm ob puram in omnibus intentionem, stellato pectore apparuisti gloriosus. Impetra, quæso, stellam hanc cordi meo: ora pro corde meo; ut ne sinat illud Jesus, & Maria, ne sinant illud Angeli; ullo unquam crimine maculari: sed sit ad Jesu Crucifixi, & MARIÆ, gloriam vita mea, mors mea, æternitas mea. Amen.

S. Perpetua *M.* quæ per quietem, angustam & aurcam

auream ſcalam, in cælum uſque porrectam, vidiſti, plenam hinc atque indè cultris & gladiis, ſub qua draco jacebat, formidabilis aſcenſurus; quem tamen ne timerent, s. Satyrus puer, mox Martyr, ſcalam conſcendens, ſocios hortabatur; cũ quo tu, vaccæ, ac leoni deinde objecta, pro Chriſto es trucidata, cùm, ad Chriſtum negandum, te nec parentis, nec conjugis, nec lactentis tui parvuli, lacrymæ permoviſſent. Juva me ut per auream patientiæ ſcalam cælos conſcendam.

s. Felicitas M. cum revocato fratre tuo, à leopardo occiſa.

Sancti Secundole, & Saturnine, MM. à leopardo illæſi.

S. Paule ſimplex, cujus obediens & ſancta oratio à Deo plura, quàm tuus magiſter, s. *A*ntonius, miracula impetrabat: qui probos, cum lætis *A*ngelis, eorum cuſtodibus, ad ſacram ſynaxim euntes vidiſti; unum verò improbum cuſtos *A*ngelus mœſtus ſequebatur, dæmonibus illum, fræno in os injecto, regentibus, & pro illo orans, illum deinde candidũ vidiſti, ac fatentem, ſe tunc carnis ſcelere fuiſſe fœdatum, ſed in templo converſum, ad verba illa, iſtic audita: *Lavamini, mundi eſtote!* Lava cor meum; ut ſit mundum, & charum Deo, ac Angelis ejus.

S. Euſebi à leonibus laniate, gladio trucidate.

B. Friderice, Horti s. MARIÆ, pro pauperibus, Fundator, qui caſtitatis tuæ fideles Præſides, S. MARIAM, Joannem, & Cæciliam, elegiſti, Beatiſſimæ Virgini cultu ſolido, teneroque, ad miracula uſque, amabilis; & poſt mortem, odoribus, & miraculis glorioſus.

Sancti

Sancti Theophile, & Paule, Episcopi, ob cultum sanctarum imaginum exules.

s. Gaudiose Episc.

s. Equiti, cui Angeli omnem libidinis sensum abstulerunt: qui dæmonem è moniali, quam ob comestam, nec signatam Cruce, lactucam, obsederat, fugâsti; cujus linguam custos Angelus ferro tetigit, ut jam de Deo tacere non posses.

s. Anna, cujus sacellum cùm in Becenno Galliæ campo restaurari vellet Deus, super locum, è quo postea imago tua hoc die effossa est, splendidum hac nocte lumen apparuit, quod cùm alii viderent, duo ex iis, qui aderant, non viderunt, fassi deinde, sibi peccati mortalis conscios tunc fuisse. *Impetra* cordi meo divinæ gratiæ, ac amoris ignem, & lumen.

OMNES SANCTI &c. *pag* 40.

S. MARIA, *cujus Salutationem infans, hodiernus* Thomas *Angelicus*; *in chartula devoravit*; *ope tuâ factus Angelicus moribus & doctrina. Esto præses puritatis meæ, ingenii, voluntatis!*

8. *Martii*. 8. *Idus Martii*.

S. Philemon, è mimo nugatore *Martyr*, exporrectâ è cælo manu baptizate; qui, ut musica nugarum tuarum instrumenta comburerentur, ignẽ è cœlo impetrasti: qui pro Christo flagris cæsus, per Urbem raptatus, arbori alligatus, cùm sagittis peteteris, illarum aliæ hæserunt in aëre, aliæ aberraverunt, una in Ariani Judicis oculum rediit: qui sanguine tandem tuo baptizatus abiisti, seriò jam bea-

beatus; & inspersus è tumulo tuo in Judicis oculum pulvis visum illi restituit. Ora pro me, ut non nuger in rebus salutis meæ, ut seriò agam negotium æternitatis meæ; ut benè, seriò benè, agam personam hominis verè Christiani; ut illâ demum æternitate coroner, quæ nugatori non datur, sed illi, qui Dei obsequiis seriò se impendit. Amen.

B. Joannes Dei, quem Beatissima Virgo spectabilis, à præcipitio, à patibulo, à dæmonis laqueis, à mortis amaritudine liberavit: cujus humeris parvulus JESUS insedit: qui Christum in pedum lotione agnovisti: quem s. Raphael Archangelus adjuvit, & B. Virgo solata est ante mortem; quam, provulutus in genua, obiisti, in amplexibus Crucifixum tenens.

s. Apolloni Diacone, qui perforatis calcaneis per Urbem tractus, gladio cæsus es.

Sancti Ariane, Theotice, & socii MM. quorum, in mare demersorum, corpora delphini extulerunt ad litus.

s. Quinctilis Episc. M.

s. Ponti, Diacone s. Cypriani Episcopi, cum illo exul.

Sancti Cyrille Episc. Rogate, Felix, Rogate alter, Beata Herenia, Felicitas, Urbane, Silvane, & Mamille:

Sancti Juliane, & Felix, Episcopi.

Sancti Ascla, Leonides, & socii MM. qui Ariano Martyri, ad sepulchrum vestrum, constantiam petenti, è sepulchro respondistis: *Esto fortis Ariane, Deus protector tuus est, qui pulchrum tibi martyrii coronam contexere incipit.*

B. Be-

B. Veremunde, qui, cùm annonæ caritas pauperes urgeret, te sacrificante, ac pro esurientibus orante, columba pauperũ capitibus imminere, ac eos alis fovere est visa; illi verò saturi abiere, nõ secùs, atque si lauto convivio adfuissent; miserere & mei.

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 40.

S. MARIA, *quæ hoc die* s. Josepho, *diceris desponsata, fac me* Josepho *tuo ita perseveranter esse devotum; ut quod possibilitas mea non obtinet, ejus mihi intercessione donetur!*

s. MARIA, *quæ* B. Joannis *Dei sudorem à fronte abstersisti, & morientem tenerè solata es. Per manus tuas, & per cor tuum divino amori dedico sudores meos: solare morientem!*

S. MARIA, *quæ hoc die* s. Franciscæ *Confessario nuntiâsti, ut sensus custodiret, Deum semper aspiceret, semperque attenderet, ut Deo placeret. Fac, ut placeam Deo: fac, ut placeat mihi Deus; ut eum amem, ac amer!*

9. *Martii.* 7. *Idus Mart.*

S. Francisca Romana, virginum, conjugatarum, viduarum, religiosarum exemplar sanctum; Angelo tibi semper spectabili, Christo passo, & MARIÆ familiaris; quæ, cùm Officium B. Virginis recitares, quater interpellata, obedienter illud abrupisti, & ad id, ad quod mittebaris profecta es; ac reversa, versũ, quẽ obedientiæ causâ abruperas, reperisti ab Angelo litteris aureis, exaratum: quam s. Alexius, tibi conspectus, aureo suo pallio ægram texit, atque sanavit: quæ cùm ob respectum hu-

manum,

manum, vanum quarundam colloquium compescere non auderes, ab *Angelo* alapâ es percussa: cui filius tuus è cœlo gloriosus apparuit: quæ æternum inferni carcerem, cum hac epigraphe vidisti. *Hic est locus infernalis, sinè spe, & sinè ullâ quiete*, quæ viso circulo maximo ac splendidissimo, in illo hæc legisti: *Principium sinè principio, finis sinè fine*, quæ in Eucharistico tabernaculo *Agnum*, & cor illius vulneratum, & lucem, & fontem indè scaturientem, vidisti, hâc voce auditâ; *Qui sitit, veniat ad me, & bibat*, quam Ss. Joannes Baptista, Evangelista, & Sancti alii, sæpiùs invisêre, ac multa & utilia docuêre, cui Deus amorem suum divinum, in prato florido, instar fontis, aliàs instar tabernaculi, aliàs instar igneæ columnæ, ostendit. voce quoq; de cælo missa: *Ego sum amor, pater pulchrè amandi, & fulcimentum amoris*: quæ de ipsa, ac de dæmone victrix, vidisti Archangelum tuum Custodem à Christo, serto è ramis oleæ confecto, coronari, ob eas victorias, quas, illo fideli præside, reportaras; illo gratias agente pro donis tibi à divinâ liberalitate concessis. O sancta tot filiarum mater, cui *MARIA JESUM* in filium dedit; cui comedenti, decumbenti assedit Jesus: quæ in morte rogata, quid ageres? respondisti, te id, quod residuum haberes animæ, & spiritûs, Officio Mariano recitando impendere; & impendisti animam cælo. Juva me pro æternitate. Francisca felix, Francisca Angelica, Francisca *JESU & MARIÆ* amabilis. Adsit mihi, & comedenti, & decumbenti, & semper, ac denique morienti, in æternitate viventi, *JESUS*. Sancta Francisca.

quæ

quæ in morbo extremo vidisti catenam ignitam ad cælum usq; porrectam, symbolum tui amoris erga Deum: & tuas monuisti, *ut essent semper in Dei amore ferventes*. Liga cor meum, oculos, linguam, & me totum catenâ illâ, ignis illius, qui faciat, ut & ego & ii, qui mecum sunt, simus semper in Dei amore ferventes. S. Francisca, quæ centies pectus pugnis quotidie contundebas, cor ad dolorem de peccatis, & ad amorem Dei, sic provocans, super quam orantem visa est aurea virgula, liliis aureis ornata, descendere: super cujus caput lumen igneum est conspectum; quam Christi Vulnera splendore amabili perfundebant; quæ videbas, num novitii essent in arrepto religiosæ vitæ proposito perseveranter permansuri: ad cujus, necdum conditum, cadaver, obstinati quidam, ad pœnitentiam seriò agendam, permoti sunt: & energumenus tres carbones exspuit, illicò liberatus; tu verò cuidam peccata sua integrè confitenti per quietem conspecta, dixisti: *Vade, explica totum, & ne verecunderis; quia melius est in hac vita pati verecundiam, quam in futuro sæculo æterna supplicia.* Contere cor meum amore, ac dolore: impetra mihi lumen, ignem, gratiam finalem, ut mundus corde, amem Deum cordis mei, ex nunc in æternum. Amen.

S. Vitalis Abba, qui à serpente morsus, Crucis signo venenum omne extinxisti, mirabilis corporis tui hostis, qui ab *Angelo* SS. Eucharistiæ ferculo es pastus, cujus cingulo pulsus est serpens, qui fœminæ mentitæ, ac perjuræ collo se circumdederat, & per plures menses abigi indè non poterat, cujus defuncti

functi corpus cælesti odore fragravit ; sepulchro ultrò aperto, & Angelis ibi cantare auditis.

s. Gregori Episc. frater Basilii *Magni*, pro Christo exul.

s. Paciane Episc. eloquentissime, atque castissime.

Sancti Cyrille, & Methodi, Episcopi.

B. Catharina Bononiensis, cui s. Thomas Cantuariensis Episc. orandi factus magister apparuit ; cui ipsâ nascentis Dei Jesu nocte, Jesum parvulum in amplexus, in oscula dedit Virgo *Mater* ; cujus corpus, sedens etiamnum, spectaculo, & admirationi est.

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 40.

s. Maria, *cujus Officium hodierna* Francisca *noctu ad lucem, è S. Angelo suo Custode erumpentem, recitavit, à te mirè documentis cælestibus sæpius erudita. Fac me bonum tuum discipulum : fac ut ita orem, uti desiderat, Angelus Custos meus!*

s. Maria, *qua Mariæ, moniali tibi devota, apparuisti, & ejus caput serto florido coronâsti. Da ut ego hîc ita coronem te, ut merear ad coronas æternas præparari à te!*

10. *Martii 6. Idus Mart.*

Sancti Martyres milites quadraginta, quorum ora contusa lapidibus; qui frigidissimo hyemis tempore, nudi, sub operto cælo, supra stagnum rigens pernoctâstis; quos orantes, & cælesti luce circumfusos, & coronis è cælo venientibus coronandos vidit janitor, factus & ipse è vobis unus, illius loco,

qui à Christo defecit. Vos fractis cruribus, *Melithon* verò parvulus in matris amplexibus expiravit. Impetrate mihi perseverantiam, ô *Sancti*! ne unquam à Deo meo sim rebellis; sed ad finem usq; perseverans salvus sim sine fine. Amen.

Sancti Cai,& Alexander,MM.

s.Codrate,qui, cùm matrem in cunis parvulus amisisses,àDeo,per Angelos,cælesti lacte es pastus: posteà verò post flagra, unà cum sociis,cum cantu ibas ad mortem; atq; ubi cum illis caput pro Christo posuisti moriens,ibi fons vivus erupit

Sancti Dionysi,Cypriane, Anecte, Paule,& Crescens, S. Codrati socii, MM.

s. Victor M.

s. Macari Ep.

s.Droctovee Abba.

s. Anastasia patritia, quæ, ut aulam lateres, sub Anastasii veste ac nomine, in eremo cellæ inclusa, per octo & viginti annos, nulli visa, mortem prævisam radiante vultu obiisti.

s.Attala Abba, qui tuos ad disciplinam & dictis, & miraculis excitare conatus, à Deo es adjutus, quandoquidam, disciplinæ impatiens,& murmurans, febri repentè accensus obmutuit,& extinctus est; ac tres alii dissoluti miserè periere; aliis Religiosis ad cor deinde disciplinamque reversis; qui abscissum pollicem cujusdam,digito restituisti,fluvium rapidum ad littus aliud abire jussisti: qui centum quadraginta ante mortem diebus, ut morti te accingeres, à Deo monitus, in Crucis amplexu de tremendo Dei judicio anxius, tremensque, ac la-

cry-

crymando singultiens, atque veniam pro peccatis petens, cœlos, quos patentes videbas, ingressus es.

S. Gelasi *Abba*, qui, cùm pro eleemosyna tibi allata, Psalmum *De profundis* recitasses, ridente illo, qui missam tibi eleemosinam attulerat, bilanci aurum tibi missum hinc, indè scriptum in chartula Psalmum *De profundis*, appendisti; & bilanx chartulam longè majoris ponderis præ pecunia esse ostendit. Impetra mihi, ut sciam temporalia hæc ac illa æterna, in æternitatis bilance, benè appendere, ac momentaneum hoc & leve bonum aut malum æterno illi postponere.

OMNES SANCTI, &c. *pag* 40.

S MARIA, *quam allocutus hodie S. Joseph, & Græca Ecclesia rogat, ne absistamus à contentione laudandi te, licet indigni. Hoc peto & ego ne sine me languescere, sed semper fac plus proficere!*

11. Martii. 5. *Idus Mart.*

S. Pelagia, quæ, ad martyrium ultrò quærendum, pedes, una cum geminis filiabus, iter ingressa, ut tuum, ac filiarum pudorem servares, in profluentem desiliisti, & illo hausta es. Orate pro me mater sancta, sanctæ filiæ; ut & ego pretiosam mortem quæram per vitam pretiosam, ut inveniam pretiosam æternitatem Amen.

sancti Heracli, & Zosime, *MM.*

sancti Candide, Piperion, & alii viginti MM.

sancti Trophime, & Thale, MM.

Omnes sancti *Martyres* Antiocheni, candentibus craticulis diu assati, aliisque suppliciis extincti.

Sancti Gorgoni, & Firme M M.

S. Eulogi Presb. Martyrum scriptor, posteà ipse Martyr.

S. Euthymi Ep. ob cultum saerarum imaginum exul & Martyr.

Sancti Sophroni, & Benedicte, Episcopi.

S. Firmine Abba.

S. Constantine Conf.

S. Petre, ex Hispanæ militiæ Præfecto & Sponso, instar Alexii, ipsâ nuptiarum nocte nobilis peregrine, qui in Baucensi specu obscurus latuisti : ferro vestitus, nervis te cædens, inædiam longam non nisi crudis radicibus recreâsti, omnibus cœli injuriis te exponens, humi jacens, nonnunquam in glacie: ut sic afflictione carnis præces tuas condires, atque accenderes, cui, tempore famis, panem à se petenti fœmina cùm gemens responderet? se nihil omninò habere, arcam aperuit, eamque plenam recenti pane divinitùs dato invenit, qui oratione tuâ cælos aperuisti, ac Angelos, indè ad te descendentes, vidisti ; atque ad illos moriens ascendisti ; ad cujus sepulchrum mortuus puer ad vitam rediit : & consceleratus quispiam, cùm ad te mortuum, ad osculum tuæ manus accederet, arceri se sensit, te manum rethrahente

S. Vindiciane Episc. in vita, & morte virtutibus ac prodigiis magne.

OMNES SANCTI &c. *pag* 40.

S. MARIA, *cujus imago triumphali ferculo imposita hodie in Hispalense tuum templum illata est, doce me, ut me vincam ; ut semper, unà cum* JESU, *triumphes in me!*

12. *Mar-*

12. Martii. 4. Idus Mart.

S. Gregori Magne, qui inter peregrinos, quos ad mensam tuam invitabas, Christum ipsum, aliàs vero Angelum habuisti, certior ab illo factus, te Christi Vicarium à Deo destinatum: super cujus, libros scribentis, caput, Spiritus sanctus, in specie columbæ, conspectus est, qui, lue in Urbe grassante, Beatæ Virginis imaginem circumferens, Angelos, *Regina cæli lætare, Alleluja*, cantantes audisti; & simul Angelum, cruentum gladium abstergentem, & in vaginam recondentem vidisti; qui Monacho cuidam post mortem apparuisti, eumque monuisti, ut Superiorem de peccato quodam moneret, quippe infra triduum moriturum: & per eundem Oeconomo significâsti, diminuendos à Deo dies illius; quòd eleemosynam, à te pauperibus constitutam, diminuerit, alii ægro conspectus, eumque sanans, per eum nominatim pluribus nuntiasti, ut se pararent; etenim alium post alium, aliquem die quolibet, morituros: & illi eo, quo prædixeras, ordine sunt extincti, alii quoque clienti tuo timido te exhibuisti, eumque solatus, dixisti: *Modicæ fidei, quare dubitâsti?* Fac me clientem tuum; fac, ut me benè parem tremendo illi articulo. Ora pro me *Reginam cæli*? ut illi, in ejus regno, æternum *Alleluja* cantem: ora magistrum tuum, Spiritum sanctum; ut me docilem sibi discipulum reddat, & in agone suscipiat spiritum meum, S. Gregori, qui S. Franciscam Romanam cum duobus Angelis visens, ejus Confessarium præclaris monitis instruxisti. Inter

quæ fuit, ut Christo fideret; ac ad id, quòd melius est, eligendum attenderet, cor mundum esse compendium nobile, ad intelligendum, quæ non assequitur. Impetra mihi intellectum, ad cælestia perspicacem. S. Gregori, qui hoc tuo die, S. Gertrudi gloriosus apparuisti; & Deus dixit, se *miro modo delectari* in iis, quæ scripsisti; ac in illo, quicunque librorum tuorum lectione, vel auditione, compungitur, & *ad amorem inflammatur*: cui Christus cor suum obtulit; ut indè thesauros, pro Ecclesia Dei depromeres: teque cinxit zonâ ex *auro purissimo*. Doce me ita legere; ut inflammer, & delectem Deum. Amen.

S. Mamiliane M.

S. Petre Diocletiani cubicularie, pro Christo suspense, flagris diu torte, aceto ac sale perfuse, tandem in craticula lento igne assate.

S. Egduni Presb. & alii septem, singuli diebus singulis suffocati.

S. Theophanes, è ditissimo, pro Christo, pauperrime; qui, unà cum Sponsa, Deo te dedicans, tua egenis erogasti, Religiosus factus: quem dæmones, porcorum specie, mordere aggressi, depulsi sunt: qui furiosum energumenum curasti: qui pro sacrarum imaginum cultu, bienni carcere, ac longa fame maceratus, *optatissimam Dei pulchritudinem animo contemplans*, & illas ærumnas & longum ad mortem usque exilium, æquo animo perferebas: pecora, lue contacta, si aqua tumbæ tuæ aspergebantur, sanabantur; cæcis quoque, claudis, ac aliis, ejus arcæ contactu curatis, sed & *chirographum flagitiosis actionibus plenum*, *cùm arca tua obsignatum* admo-

admoveretur, sic omnibus apparuit, ac si nihil unquam fuisset in eo scriptum. Delè etiam è corde meo mortis chirographum, vel quicquid nævi est illic, quod displiceat pulcherrimo Deo meo.

s. Bernarde Episc.

s. Isidore rustice, cujus vices, dum tu orares, Angeli, & ad pecus custodiendum, & ad arandum, subplevere,

Sancti Ignati Loyola, Francisce Xaveri, Philippe Neri, Theresia V. unà cum s. Isidoro, à Gregorio XV. Pont. Max. hoc die, in Sanctorum catalogum ritè relati.

s. Fina V. quæ in sago cilicino, & silentio, tuæ puritatis fidelis custos, ne tua te pulchritudo perderet, morbo longo, & gravi adeò contabuisti, ut ipsa, cui accubabas, tabula, à defluentis tuæ carnis tabe putresceret: quæ vermibus, muribusque corrosa, inter extremam mendicitatem & dolores, tamen hilaris, octo ante mortem diebus, à S. Gregorio Papa tibi apparente, de morte præmonita, obiisti, fragrans odoribus; & campanis ultrò sonantibus jam sepelienda, manum visa es attollere, & contactu tuo nutricem à morbo incurabili persanasti.

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 40.

s. MARIA, *cujus imago hodiernum* S. Gregorium *dicitur allocuta: loquere, Domina; quia audit servus tuus, utinam semper obediens tibi ad omnia!*

13. Martii. 3. Idus Martii.

S. Euphrasia, quæ Crucifixum complexa, tuos illi castos amores vovisti, Principis nuptias

contempsisti: cujus miram cum invidis, ac tentante dæmone, patientiam, & victoriam felici morte coronavit Deus, quando visa es in cælum duci ab Angelis. Ora, ut patiar & ego libenter, ex motivo amoris Dei, cum gratiarum actione. Ora, ut libenter moriar; sed in suavissimis JESU & MARIÆ amplexibus Amen.

Sancti Macedoni, Patria uxor, & Modesta filia, MM.

s. Theuseta, cum Hotre filio, & Theodorâ, Nymphodorâ, Marco, & Arabiâ combustæ.

s. Sabine Princeps, cui suspenso, & crudelissimè laniato, frustatim caro decidebat in terram; te interea, æternitatis tormenta timenda esse dicente: cujus latera, & venter dum exuruntur, ceræ liquefactæ instar fluebat caro: qui denique cum saxo illo sepeliri petiisti, quocum in mare demersus es.

s. Christina V. Martyr.

s. Macteflidis V. cujus anima in cælis gloriosa, cum centum circiter sororibus tui cænobii, à B. Romarico visa est.

Sancti Ruderice Presb. & Salomon, MM.

s. Nicephore Patriarcha, pro cultu sacrarum imaginum, quatuordecim annis exul.

s. Ansovine Episcope.

s. Damiane Dalmata Archiepiscope, juxta quem sacris operantem, conspectus est vir splendidus, faciem tuam admirabili luce illuminans, impetra lumen æternum cæco meo cordi.

s. Leander Episc. S. Hermenegildi Regis, & Reccardi, magister sancte.

B. Henrice, qui regiam Daniæ hæreditatem ultrò pro Christo deseruisti. OM-

OMNES SANCTI. &c. *pag.* 40.

S. MARIA, *quæ hodiernam S.* Euphrasiam *coronâ gloriæ coronare visa, inter cœlestes amplexus, dixisti :* Ecce merces tua! Post decem dies veniens fruere his sæculis infinitis. *Impetra mihi; ut coroner in misericordia & miserationibus æternis.*

14. *Martij, pridie Idus Mart.*

S. Petre, quem in Clarâ valle Novitium, inter preces, Angelus excitavit; qui Angelos, *Laudans in vocabo Dominum*, canentes audiens, ad psallendum, dolorum oblitus, accensus es; & è morbo factus unoculus, gratias egisti Deo, quòd alterum tuorum hostium amisisses, ac tandem oculos Deiparâ olim visâ beatos, tibi terris clausit, cælis aperuit felix mors. Ora pro meis oculis. Ora pro corde. Excita me ad orandum: ut ita orem, tanquam Seraphinorum, ac omnium Angelorum, Deum amantium, Deique laudes canentium, ignes vidissem, vocesque audissem. Amen.

Sancti quadraginta septem, cùm SS. Petro, & Paulo Apostolos, per novem menses captivi, gladio Martyres.

Sancti Petri, & Aphrodisi. MM.

S. Eutychi, & socii MM.

Sancti duo Monachi, qui, licet suspensi, & jam mortui, ab hostibus tamen ipsis auditi estis psallere.

S. Diacone Marsicane, capite truncate.

B. Mathildis Regina, Othonis Magni mater, vidua, divinis laudibus celebrandis, & audiendis,

etiam noctu, devotissima; blanda, & liberalis pauperum mater, viatorum nutrix, domesticorum, in litteris & virtute, magistra: cujus anima, ab infinita Angelorum multitudine, unà cum anima Bernardi Episcopi, tunc defuncti, cum gloria ineffabili, in cælos deferri est visa.

OMNES SANCTI. &c. *pag.* 40.

S. MARIA, *qua ab hodierno S.* Petro *visa es, cum Maria Magdalena & Ægyptiaca colligere sudorem piè laborantium in messe. clientum tuorum, & frontem illorum abstergere, illosque solari. In manus tuas & per has ad gloriam Dei, offero sudores, & labores & omnia, quæ ago, usq; ad sudorem supremum in morte!*

15. *Martii, Idibus Mart.*

S. Menigne, qui inter eluendos, pro artis, quam profitebaris, more, pannos, è cœlo vocem audisti: *Curre Menigne, ut ego tibi æternarum gratiarum thesauros ostendam*; & in forum procurrens, ad viscera, & ad medullas usq; pro Christo, flagris laceratus è resectis digitis, loco sanguinis, lac dedisti; ex ore verò truncati capitis tui columba evolare visa in cœlum, & in capite stella lucentissima conspecta est. Ora, ut ita curram in hoc vitæ cursu, ut illum felici morte consummem, ac tum *æternarum mihi gratiarum thesauros ostendat Deus*, Amen.

s. Zebedæe, ss. Joannis, & Jacobi Apostolorum pater.

s. Longine, qui, cùm Christi latus aperires, vitam, & lumen ad Cor Jesu reperisti, postea splendidè candidatus, ad matyrium, velut nuptias, abiisti

iisti cum sociis, & post mortem, non semel, in cælo visus es gloriosus.

s. Aristobule, Apostolorum discipule. Martyr.

s. Matrona ancilla, à Judæâ dominâ, pro Christo, ad mortem usque, fustibus cæsa.

s. Nicander, qui Martyrum reliquias piè colligens, ipse factus es Martyr.

s. Leocritia V. Martyr, quæ desertis pro Christo opibus, gentilibusque parentibus, S. Eulogio dixisti! *tibi oranti liquore mellis os repletum fuisse*; atque ab illo audisti, melle illo indicari eam qua fruitura eras, *regni cælestis dulcedinem*: quæ gladio cæsa, & in Bætim flumen projecta, nec mersa, *erecto corpore pergens* conspecta es.

s. Zacharia Papa.

s. Probe Episc. cui morienti Juvenalis, & Eleutherius, Martyres adfuerunt.

s. Speciose, cujus animam germanus tuus ferri vidit in cœlum.

OMNES SANCTI, &c. 40.

S. MARIA, *cui hodie* festum gratiarum actionis *celebrat Carnotensis Urbs, ab hoste per te, intactâ tuâ super portam imagine, liberata. Doce me, Deo per te, semper & ubique, ita gratias agere, ut gratus vivam, & moriar!*

S. MARIA, *quam, hoc die cum Ss. Paulo & Benedicto, vidit S.* Francisca, *cùm paulò ante post sumptam sanctissimam Eucharistiam in splendidissimo lateris Christi Vulnere pelagus amabile aspexisset, quo tempore S. Benedictus sodales Franciscæ ad tenerum erga te* amorem *& cultum est cohortatus. Hortare cor meum ad amorem illum; persuade illi, & imprime cultum illum!*

16. Martii, 17. Kal. April.

S. Abrahame, è Sponso Eremita, *lætum radium semper è vultu* emittens, vestibus iisdem semper usæ, per annos quinquaginta semper integris atque recentibus: qui, cùm videres columbulam, dracone deglutiri, & rupto draconis ventre, illam iterùm evolantem, sororem tuam *Mariam*, à vita sancta ad fœditates seductam columbam, militem indutus, inter epulas convertisti; è draconis ventre, à dæmone luxuriæ extraxisti; & ad eremum reduxisti. Intercede pro anima mea, ne columbam hanc, in mortis articulo trepidam, seducat, & glutiat inferni draco, sed illam, intra Vulnera sua absconditam, pro sancta æternitate, conservet Jesus. Amen.

s. Cyriace Diacone, qui, post longos carceres, liquata pice perfusus, catastas, nervos, fustes passus es.

Sancti Large, Smaragde, & alii viginti, cum s. [illegible], capite damnati.

[illegible]ilari Episc. Tatiane Diacone, Felix, Large, & [illegible]ysi. MM.

s. *Anna* thaumaturge, centum & decem annorum senex, longissimis jejuniis, & duorum leonum comitatu, mirabilis: qui spinâ è leonis pede extractâ, illum persanasti; missâ per leonem epistolâ Stylitæ, ut iis à quibus offensus fuerat, ignosceret, persuasisti.

s. Papa Martyr, qui verberibus, ungulis ferreis, clavatis calceis cruciatus; deinde arbori alligatus, illum è sterili fructuosam moriendo fecisti.

S. Julia-

s. Juliane M. diutissimè cruciate, qui demum, unà cum serpentibus, in sacco inclusus, in mare demersus es.

s. Agapite Episc.

s. Heriberte Ep. luce, ac radiis inter nascendum, & posteà inter orandum, perfuse: quem pro tuis, in fame ac peste, supplicem, ac mœstum, solatus est Spiritus sanctus, caput tuum in supplicatione, in columbæ specie, sæpe circumvolans, è cujus, noctu orantis, lectulo lux erumpere, ac fundi visa est; ad quem moriturum iri conspecti Cælites, dicere sunt auditi: *Deo Sanctisque omnibus dilectum Heribertum venimus susceptum.* Qui Volberto Abbati, post mortem, dixisti: *Orationibus, frater mi, sedulus vigilanter insiste; & vivorum atque mortuorum, parentum, famitarium tuorum salutem exorans, mei quoquè memoriam abundantiùs habe. Scito enim, quia ab obitu meo die trigessimo, qui nunc imminet; mecum pransurus es.* Emunda cor meum; & illud Deo, Dei Matri, ac Sanctis omnibus, charum redde; doce me orare, vivere, atque mori.

s. Patrici, Episcope admirande.

s. Torrelle, qui audito tertio galli, tuis repentè humeris insidentis, cantu, antiquas turpitudines tuas, quadraginta integris annis, sub dio, in jejuniis, catenis, vepribus, trium tantùm quotidie horarum somno, in aqua gelida amarè flevisti, vicisti; & pœnitentiam, ac victorias tuas morte sanctâ de illa, ab Angelo præmonitus, coronasti; atque mortem, ursum obedientem habuisti; puerum lupo eripuisti, & lupos omnes ab iis sociis in perpetuum

proscripsisti; post mortem verò gloriosus apparuisti.

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 40.

S. *MARIA*, *quæ hodierno* S. Heriberto *locum templi tibi condendi ostendens: dixisti: Scias exauditas esse orationes tuas, jam ecce venio. In Divitensi castro locum mundari præcipe; ibique monasterium Deo, mibi, & omnibus Sanctis constitue: ut ubi quondam abundavit peccatum, & cultus dæmonum, ibi justitia regnet in multitudine Sanctorum. Impetra mihi, ut præsenti, ac futurâ, solidi erga te cultûs excellentiâ, superem omnem præteritam malitiam, & inertiam meam!*

17. *Martii*, 16. *Kal. April.*

S. Gertrudis V. Pipini optimi Brabantiæ Ducis filia, ancillarum tuarum ancilla humilis: quæ ut nuptias fugeres, peregrina abiisti; & cum sodalibus, in monte Caroli, S. *Kiliani ac sociorum*, alibi postea S. *Foillani* M. corpora, tibi divinitùs ostensa, reperisti. Domum redux, illam in sanctimonialium contubernium convertisti, ipsâ *Ida*, piissimâ tuâ matre, tibi capillos amputante; cujus orantis capiti lux, igneæ sphæræ instar, conspecta est imminere: quæ a nuntiis tuis, in mari periclitantibus, invocata, eos à periculo liberasti. Cùm verò te, post trium mensium spatium, è vitâ discessurã cælitùs didicisses, tres illos menses ita expendisti, ut hoc die anno ætatis trigesimo tertio, moriens, occurentem tibi, cum Ss. Angelis, hodiernum S. *Patricium*, læta conspexeris; & cilicio, quo vivens usa fueras, indui jusse-

jusseris, tanquam veste nuptiali, sic ad pulcherrimi, ditissimi, nobilissimi, optimi *Sponsi* nuptias abitura. Quæ post mortem absenti Monialium Præfectæ, coram B. Virginis arâ oranti, conspecta dixisti; *Certè noveris me hodie migrasse è vita*: quæ coorti incendii flammas visa es è cælo, velo tuo abigere. Fac, ut me ita morti parem, ut me morientem Sancti, *Angeliq*; beati excipiant; abige à corde meo, precibus tuis sordidam iræ, impuritatis, ac omnem flammam, quæ ex igne Deo non est, & doce me sancto amore immortaliter toto corde ardere. Amen.

s. Joseph ab *Arimathia*, qui corpus pro me mortui Jesu in tuo monumento sepelisti.

sancti *Alexander*, & Theodore, Martyres.

Omnes sancti Martyres, Alexandriæ cæsi.

s. Paule, pro sacrarum imaginũ cultu, combuste.

s. Agricola Episc.

s. Maria, dicta Ancilla; intra angustum saxi hiatum inclusa, M.

s. Bathildis Regina sanctimonialis.

s. Patrici Episc. qui s. Gertrudi Virgini morienti, unà cum Angelis, ad beatam æternitatem comes apparuisti; & miserabiles animarum è purgatorio voces, in vita audisti.

OMNES SANCTI. &c. *pag.* 40.

S. MARIA, *quæ, cùm ab hodierno* s. Josepho ab Arimathia *corpus tui Filii conderetur, adfuisti. Fac, ut grata præstem obsequia Filio tuo & tibi. Nam quod illi facio, placet tibi, & quod tibi facio, placet illi!*

S. MARIA *cui hodierna* s. Getrudis *Virgo perinsigne sacellum extruxit, ad eximium purissi-*

ma castitatis donum, per te, à Deo impetrandum. Ora, Domina, ora & pro me, ut cor mundum, id est, cor Deo videndo & amando idoneum, creet in me Deus: ut cor meum sit nitidissimum tuum sacellum, in quo tu erigas aureum divini amoris altare, ¿ô Mater pulchra dilectionis!

18. *Martii*; 15. *Kal. Apr.*

S. Eduarde Rex, novercæ operâ ex insidiis occise; cujus, in æstimandis, & fovendis hominibus Deo sacris, piam liberalitatem miraculis etiam ornavit Deus, quando sacrum tuum cadaver, in paludem projectum, ignea è cœlo columna prodidit, & fons ibi, morbos fugans, erupit. Corpus incorruptum, odoribus fragrans, unà cum tumbâ cœlesti manu à terra elevabatur quotidie; & quò transferri deberet, ipse apparens in gloria indicâsti. Sancte mi Rex, intercede pro me; ut sive repentinâ sicut tu, sive aliâ morte occumbam, occumbam sanctè: ut Regi Regum Deo æternum, una tecum homagium præstem in regia æternitatis sanctæ. Amen.

S. Gabriel Archangele, misse à Deo, ad MARIAM salutator.

S. Alexander Ep. senex, Martyr.

SS. Narcisse Ep. & Felix Diacone, MM.

Sancti decies mille MM. gladio percussi.

Sancti Trophime, & Eucarpi, qui è Saulis in Paulos, effuso è cœlo imbre flammeo, & hac voce! *Surgite; quia pœnitentibus peccata remittuntur*, conversi heroum Angelorum choros vidistis; posteà Martyres per ignem.

S. Cyrille

s. Cyrille Episc. qui per mira Crucis, in cælo visæ, prodigia, ea, quæ docebas, confirmabas.

s. Frigidiane Ep.

s. Anselme Ep.

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 40.

s. MARIA, *cujus* dolorum festum *hodie celebratur. Per omnes dolores, & per omnia gaudia tua te rogo, fac, ut ea faciam, quæ te delectent; ut sim tibi gaudio, & tu mihi!*

19. *Martij.* 14. *Kal. April.*

S. Joseph, Sponse MARIÆ, de quâ natus est JEsus; qui cum Eo JESU, & MARIA Dei Matre, plus quàm duodecim annis, conversatus dulcissimè, arcana mira didicisti. Nonne cor tuum ardens erat, cùm Deum Deique Matrem in unâ tecum domo, mensaque videres, loquentes audires? O felix Joseph, qui JESUM inter, & MARIAM, te consolantes, tibique ministrantes, ultimum agonem egisti, spiritum exhalâsti: à quo nunquam aliquid S. Teresia petit, quod non impetrâsset! cujus nobis intercessione donatur id, quod possibilitas nostra non obtinet! Adesto mihi, quæso, morienti, ut me, in agone jacentem, suspirantem, expirantem juvent, ultimum spiritum colligant, & in æternum suum contubernium recipiant JESUS, MARIA, & Tu S. Joseph, ad cujus nomẽ, in cælo auditum, omnium Sanctorum choros S Gerdrudis singulari reverentiæ significatione gaudentes vidit. Gratulor ego quoque gloriæ tuæ, ac rogo, fac me talem, ut sim dignus tibi æternùm cum Sanctis omnibus gratulari. *Amen.*

S. MA-

S. Maria Magdalena, hodie translata.

Sancti Quincte, Quinctilla, Quartilla, Marce, & alii novem MM.

S. Panchari, capite truncate Martyr.

ss. Apolloni, & Leonti, Episcopi.

ss. Landoalde, & Amanti, miraculis illustres.

s. Joannes, corporis domitor generose; ad cujus tugurium pyrus folia, & flores, in Januario, Episcopo spectante, repentè produxit: è cujus corpore, post mortem, suavitas fragrabat.

s. Martine Ungare, ex Ordine S. Benedicti Archiepiscope.

S. Sibyllina Virgo, quæ duodecimo ætatis anno cæca facta, sanctum tamen Dominicum, & postea JESUM parvulum, læta vidisti, & ab eodem S. Dominico, patrono tuo, primùm ad horrenda quædam videnda ducta, deinde gloriosâ luce, ac odoribus plena palatia vidisti; neque ad ima hæc videnda reddi tibi amplius oculos postulasti.

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 40.

S. MARIA, *hodierni* S. Josephi *sponsa semper Virgo, qua honoribus illi exhibitis, delectaris, ideoque Teresiam veste pretiosâ, & torque donâsti. Ora, ut illam ita honorem, & amem, sicuti tu vis, sicuti honoravit Teresia, & alii tui!*

S. MARIA, *quá ostensâ s. Francisca dixit* Josephus *tuus:* Sequere Virginem. *Iuva me, unà cum* Josepho *tuo; ut amem, colam, imiter te.*

20. *Martii.* 13. *Kal. April.*

S. Joachime, *MARIÆ* Dei Matris parens beatissime, Sanctæ *Annæ* conjugis sancte conjux, Sanctum

Sanctum par! Vos apud MARIAM filiam, apud filiæ Filium JESUM, potestis omnia. Orate ergò & illum, & illam, pro me. Ideò JESUS per MARIAM, & MARIA per vos nata est mundo; ut ego adoptivus MARIÆ filius Jesu servus felici morte nascar cælo! ne pereat in me JEsu Nativitas, Vita, Sanguis, Mors! Adeste morienti, & me vobiscum ad JESUM ad MARIAM filiam abducite. Amen.

S. Martine Archiep. Apostolice Lusitaniæ, contra Arianos, docte & sancte vindex.

S. Archippe beati Pauli Apostoli commilito.

Sancti Paule, Cyrille, Eugeni, & alii quatuor Martyres.

Sancti Photina, Joseph, & Victor fili; Sebastiane dux, cum Anatholio, Photio, Photide, Parasceve, & Cyriaca, MM.

Sanctæ Alexandra, Claudia, Euphrasia, Matrona, Juliana, Euphemia, Theodosia, & Derphuta, cum sorore Martyres.

s. Niceta Ep. pro cultu sacrarum imaginum ad mortem usque exul.

s. Wulfranne relicto Episcopatu, & miraculis, admirande: cujus precibus, patena, quæ, dum sacrificium celebrares, in mare ceciderat, indè ad manū usque Diaconi, emersit; qui mare precibus divisisti, eique sicco pede inambulasti: à quo missus Diaconus, ostensam à dæmone domum auream, & solium Radbodo (si in Christum non crederet) paratum, signo Crucis repentè in nihilum redegit.

S. Cuthberte Episc. quem tunc adhuc puerum, & pueriliter ludentem, triennis parvulus monuit, ne jocis & otio indulgeres, sed ad seria mentem componeres

poneres; qui à te contemptus, ubertim lacrymari & clamare cœpit, corruens, ac dicens: *Quid sanctissime Antistes Cuthberte, hæc tuo gradu contraria geris? Ludere te non decet:* qui, Angelo medicinam suggerente, in genu curatus es, ac à Deo datus contra pestem protector: qui fœdas cogitationes frigidis aquis ad collum usque mersus, extinxisti; ab Angelo curatus æger, Angelum posteà hospitem habuisti, sæpè ab Angelis visitatus, cibisq; cælestibus refectus: qui Adrianum Episcopum, cælum petentem, vidisti; juva & me, ut eò evadam.

B. Ambrosi, qui MARIAM, à primo septennio, quotidiana Officii recitatione, & deinde sabbatinis, aliisque jejuniis, & obsequiis veneratus es; & dum pauperes pasceres, Angelos musicos habuisti.

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 40.

S, MARIA, *hodierni* S. Joachimi *filia*, *Felix fuit ille, te filiâ!* Ora, *ut ego, te Matre, sim in æternum felix* Joachimi *nepos!*

21. *Martii.* 12. *Kal. April.*

S. Benedicte, qui in materno utero exultare, & psallere es auditus: qui, è visæ olim à te fœminæ recordatione, immundum spiritum, fœdis tibi cogitationibus importunum, inter urticas, & spinas volutatus, ità fugasti, ut nunquam redierit; qui discipulorum quendam è templo, per vestis laciniam, à dæmone extrahi vidisti, eidemque orationis spiritum impetrasti; qui bibiturus, facto, pro more, super vasculum Crucis signo, illud vi divinâ fractum, ne venenum biberes, vidisti; S. Scholasti-

cæ, sororis tuæ, & posteà S. Germani, animam, in cælum abeuntem, aspexisti; cujus specum ingressa insana mulier, sanata est; neque deinceps unquam rediit ad suam amentiam: cujus denique anima fulgentibus, circum lampadibus, pretiosissimo pallio, velut sponsa, ornata, visa est abire in cælum; & vox audita est: *Hac est via, quâ dilectus Domini Benedictus ascendit.* O dilecte Domini! juva me precibus, ac meritis tuis ? ut ego, & nunc & æternùm sim dilectus. & benedictus à Domino, ac diligens, & benedicens Dominum. S. Benedicte, qui hoc tuo die, Sanctæ tuæ filiæ Gertrudi apparuisti, totus efflorescentibus ex te rosis undique corpore toto vernans; singulis rosis alias rosas fœcundo sinu fundentibus, quo spectaculo docuisti, quanto præmio coronaret Deus afflictiones tuas, quibus membra tua super terram domueras, plurimis exemplo ad summa omnia & ardua provocatis, & singulare in articulo mortis præsidium omnibus iis pollicitus, qui tibi gratulabantur de illa dignitate, qua te Deus tam glorioso fine dignatus est honorare. Gratulor tibi & ego, cum Gertrude, ac omnibus, qui tibi unquam sunt gratulati; ac rogo, ut me viventem doceas meam carnem vincere, & protegas morientem. Amen.

Sancti Martyres Alexandrini, ipso parasceves die, in Ecclesia, pro Christo moriente occisi.

Sancti Philemon, & Domnine, MM.

S. Birille Ep. qui fontis amarissimi aquas, dulces fecisti, dulcissimo Dei nomine implorato.

Serapion Ep. pro Christo exul.

S. Lupicine Abba, quem, ad orandum genua flecten-

flectentem, dæmon lapidibus impetebat.

S. Francisca Romana, quæ à dato tibi, hac die, uno è Choro potestatum Angelo, habente in manu *tres ramos aureos*, contra dæmonem est defensa. Defende me cum tuo *Angelo*, contra angelum tenebratum.

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 40.

S. *MARIA*, *quæ, cum JESU, accepisti; deductos ad cælum per scalas ab Angelis, clientes tuos candidos; & Episcopo apparens fecisti, ut hodie Olivetanam tuam Congregationem ritè confirmaret. Impetra mihi, ut ubique sequar ductum Angeli, me ducentis ad te!*

22. *Martii.* 11. *Kal. April.*

S. Catharina Sueca, Virgo vidua, animarum purgatorii advocata singularis, s. Birgittæ sancta filia, quam, septennem adhuc, ob leves ludos, à dæmonibus, puerilium crepundiorum specie apparentibus, flagellari voluit Deus: qua audita, Urbanus VI. Pont *Max.* dixit *Revera, filia, tu bibisti de lacte matris tuæ*; quæ fæminam nobilem, à proco dæmone turpitèr vexatam, liberasti, postquam illi confessionem sinceram, humilitatem, & preces coram Crucifixo fundendas persuasisti; quam in lectulo modestissimè decumbentem Beata Virgo benignè invisit, blandeque aspexit: quæ, in salutata prius per *Ave MARIA* Virgine, nec ipsa agebas quicquam, & ut alii, illa non consulta, ne quiquam aggrederentur, docebas: quæ s. sebastianum, puritatis tuæ præsidem elegisti, opemque certam sensisti: quæ denique apud *MARIAM*, pro mundo universo,

universo, quem in incendio videbas, opem impetrâsti; & per aliquot vitæ annos, quotidie confessa, inter Angelorum manus sacram Deo animam tradidisti: super cujus tumulum, index gloriæ, tuæ stella, funeris comes, apparuit. Ora pro me, unâ cum sanctâ tuâ matre, ut me MARTA, in supremo meo lectulo decumbentem invisat, id est, juvet; ut omnia, quæ aggredior, illâ approbante perficiam; & denique mundo, per frequentem & seriam confessionem, corde moriar; ut æternùm vivam, & Deum videam. Amen.

s. Paule Episc.

s. Epaphrodite, à S. Petro in Episcopum ordinate.

s. Saturnine, & alii novem MM.

Sanctæ Callinica & Basilissa, MM.

s. Basili Presb. & Martyr.

Sancti Octaviane Archidiacone, & multa millia MM.

s. Deogratias Episc. multorum captivorum redemptor.

s. Beneveaute Episcopi.

s. Lea Vidua.

s. Francisca Romana, que, hoc die, Deum, thesauros suos distribuentem, & Dei Matrem; cum Ss. Paulo, Benedicto, ac Magdalena vidisti, Magdalena te hortante, ut *quæreres thesauros Dei*, radices alcas in Christo figeres, & cum illo *clausa in amore* maneres, neque te ab altitudine illa ad hæc ima, nisi *amoris Dei caussâ*, demitteres. S. Paulo filias tuas monente, ut omni deliberationi orationem præmitterent, Crucem
ample-

amplecterentur, Christi sanguine mergerentur, ita semper id, quod est melius, electuras. Doce me Dei amore, semper id eligere, quod placet Deo.

s. Maria Magdalena, quæ hoc die, S Franciscam Romanam, tuam discipulam, *ad divinum amorem* hortata, ei dixisti: Comprehende illud bonum, quod te suis thesauris implet, descende per profundam humilitatem, & hujus descensûs causa sit *amor*. Doce me humilitatem, è sublimi Dei amore profectam.

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 40.

s. MARIA, *quæ* s. Catharinæ Suecicæ, *à dæmonis tentatione afflicta, consilium dedisti, ut matri & Confessario obediret; qua te, dum consuleretur, salutatam, in singulis consulebat: illustra, & accende me consiliis tuis!*

23. *Martii.* 10. Kal. *Apr.*

S. Otho, è studioso miles, qui à S. Bernardo, precibus invocato, è carcere liber eductus es. Abibo & ego ex hoc carcere; mors me educet; sed ut in libertatem videntuim, non in carcerem cæcorum educar, adesto mihi unà cum S. Bernardo tuo; & impetra; ut ubi vincula hæc mea disruperit Deus, sacrificem illi hostiam laudis, una vobiscum, semper, Amen.

s. Victorianæ proconsul. & fratres duo; item duo Frumentii mercatores Martyres.

s. Fidelis martyr.

s. Felix; & alii viginti Martyres.

s. Nicon, & alii nonaginta novem MM.

sancti

Sancti Domiti, Pelagia. Aquila, Eparchi, & Theodosia, MM.

s. Theodule Presbyter.

s. Juliane Confessor.

s. Benedicte Monache, qui à Gothis in ardenti clibano inclusus, sequenti die inventus es illæsus.

s. Christophore parvule, octo annos nate, flagellate, spinis coronate, & omnia Christi tormenta singillatim perpesse: cui, Cruci affixo, cùm latus dextrum lanceà aperire pararet carnifex, dixisti. *Si cor quaris, alterum latus mihi effodias, & scruteris*; & simul teneram animam edisti, corde avulso, impetra cordi meo vulnus amoris Dei, quo discam magno animo amare, ac pati.

OMNES SANCTI. &c. *pag.* 40.

s. MARIA, *in cujus Hallensi sanctuario, ad aram, argentea hodie mortui clientis tui penna est dedicata. Honori, amori tuo dedico pennam, manum, & me totum, ac omne quicquid scribo, lego, ago, spero. Suscipe me in æternum!*

24. *Martii.* 9. *Kal. Apr.*

S. Simon, parvule Tridentine, qui à ferissimis Judæis forficibus concisus, acubus toto corpusculo punctus, distentus, variis modis excarnificatus, crucifixus, inclinato capite morientis Christi Martyr victima factus es; adsis mihi morienti, puer sancte; & si pro Christo non potero, saltem in Christo ut sanctè moriar, impetra. Amen.

sancti *Marce*, & Timothee, MM.

s. Epigmeni Presb. gladio cæse.

s. Pigmenti Presb. in Tiberim præcipitate.

sancti Timolae, Dionisii duo, Pausites, Romule, Agapi, duo Alexandri, securi percussi.

Sancti Romule, & Secunde, fratres.

Sancti Agapite & Latine, Episcopi.

S. Seluce Confessor.

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 40.

s. MARIA, *cujus paranymphi*, S. Gabrielis, *festum hodie celebratur. Doce me, ut sim Gabriel tuus, Angelus tuus, Salvator tuus, ut obediam Deo, à quo toties sum missus ad te, quoties bona cogitatio mihi incidit, impensius colendi te; ut impetrem per te, quod peto per te.!*

S. MARIA *cui* (*spectante id* S. Gertrude) *cùm* Miserere Deus meus! *diceretur, Christus omnia, quæ dicebantur verba, dedit in specie margaritarum, & dixit; se illis cordibus eximiè delectari, quæ cum patientiâ & fiducia omnia, quæ patiuntur, committunt Deo,* qui diligentibus se omnia commutat in bonum. *Domina, doce me sic Deum delectare; fac, ut omnia, quæ inter orandum dico, & omnia, quæ ago, quæ patior, sint in tui Filii, ac tuis manibus, pulcherrimæ margaritæ!*

25. *Martii.* 8. *Kal. Apr.*

A*Ve MARIA gratia plena, Dominus tecum;* ancilla Domini, MaterDei, in qua hodie *Verbum caro factum est.* Esto mihi MARIA, impetra; ut in gratia moriar, ô gratia plena! ut Dominus sit mecum, & ego cum Domino in æternum! O *benedicta in mulieribus*, ora, ut *benedictus fructus ventris tui*


Jesu

S: Serwacego Biskupa, 13: Maja.

Lichwa świata ſto za jeden, BOG bierze jedno za ſto; á przećie ludźie niechcą z BOGIEM handlowac i kontraktować i tak wolą mieć człowieka dłużnika, niż BOGA,

S. Piotr Chrzyzol: Jałmużna.

Modl ſię za ſkąpych.



JESUS, sit mihi viventi, & morienti, JESUS. Ita fiat, ô MARIA, *mater Dei*, viventium, & morientium, ac prædestinatorum Mater? S. Gabriel, Archangele MARIAne, saluta mecum, & pro me MARIAM, & doce me illam salutare; ut *oret* pro me, oret *nunc*, dum vivo, *nunc*, dum oro; *nunc*, dum sum in periculo damnationis æternæ; & tunc, *in hora*; tunc, in momento, tunc, in sudore; tunc, in agone *mortis meæ*. Amen.

S. Quirine, post facultates amissas, verbera, & gladium, in Tyberim projecte.

Sancti ducenti sexaginta duo *MM*.

S. Irenæe Ep. abscisso capite M.

S. Dula, ancilla militis, pro puritate occisa.

S. Crucifixe latro, qui Christum confessus, & invocans, ab alio moriente audisti: *Hodie mecum eris in paradiso*.

S. Pelagi Ep. pro Christo exul.

Sancti Baronti, & Desideri, Confessores.

S. Hermelande Abba, ex aulico regio; qui Maurenti Abbatis animam, ducibus *Angelis*, ad cælos migrare conspexisti; mira alia patrasti; & quendam, pœnitentiam differentem, horrendâ morte intra mensem extinguendum, verus vates, prædixisti.

S. *Mechtildis*, quæ hoc die annos tuos in amaritudine animæ recogitans peccatorum tuorum cineres vidisti, coram Christo, in nihilum redactos; & ipsa coram illo stans instar *puri auri*, JESUM, cum aureâ è corde illius fistulâ exeunte, conspexisti; qui dulci voce canens, *Laudem dicite Deo nostro omnes Sancti ejus*; & sensus tuos ad imitationem

ſuorum ſenſuum invitans, ſuos *oculos* tuis oculis, *aures* auribus, *cor* cordi donavit, cum omni *exercitatione divini amoris* ſui, unde tu *amore divino liquefacta*, tanquam cera, ſigillo JESU munita es; illis quoque verbis à JESU, in Euchariſtia recepto, auditis: *Tu in me, & ego in te, & in æternum non derelinquam te, per divinum cor meum ſemper me laudabit*. Doce me amare, dolere, & eſſe inſtar *ceræ, à facie ignis amoris Dei.*

OMNES SANCTI. &c. *pag*: 40.

S. MARIA, *Annuntiata, cujus Florentina imago, à pictore cœpta, ab Angelo perfecta eſt: mitte Angelos, qui me juvent, ut ſim conſtans, ut benè cœpta perficiam, quicquid contra moliantur angeli tenebrarum*. Ave Maria!

S. MARIA. *quæ, hoc die, S. Mechtildi conſpecta es zonam* auream, *cum cymbalis* aureis *manu tenens, omnibus Sanctis Deum laudantibus; Angelorum choris, inſtar muri ad cœlum uſque porrecti*, Nazarethanam *tuam domum cingentibus, Gabriele vexillum regium*, aureis *literis inſcriptum, geſtante, ac* ignito Seraphinorum choro *ſpecioſum* JESUM *comitato. Commenda me Seraphinis, quorum Regina es, ut me perpurgent, & comitem Chriſto adjungant!*

S. MARIA, *in cujus cor, hoc tuo die, cùm* Ave Maria *caneretur, vidit S. Gertrudis, a Patre, & Filio, & Spiritu ſancto, tres rivulos procedentes, & è corde tuo in Deum redeuntes: & divinitùs ſignificatum illi eſt, ſalutatione illâ* Deum, *te, Angelos, ac cælites omnes, mirificè delectari; S. Gabriele ſingulari tunc ſplendore perfuſo cùm ea recitatur corde attento. Tu verò Gertrudi tuæ, petenti à te inſtrui, pro Euchariſtia ſanctè*

ſumen-

sumendâ, monile pretiosum dedisti, documentum puritatis, humilitatis, ferventis desiderii, cognitionis tranquillitatis, amoris, dilectionis in Deo, *simul promittens, quòd verè Matrem te monstrare velis illi, qui tibi de hujus diei gaudiis gratulatur: docensque semper, cùm salutatio Angelica recitatur, in fine illius* divinum amorem *esse petendum. fac ut illum ita petam, ut impetrem. fac me dignum salutatorem tuum!*

26. *Martii. 7. Kal. Apr.*

SAncte Ludgere Ep. qui etiã tùm parvulus, quid toto die egisses, rogatus, dixisti, libros te composuisse, legisse, scripsisse Deus, ajebas, *me docuit*, qui postea patratis miraculis, cũ beatæ mortis tempus propè adesse intellexisti, orationibus, sacris lectionibus, concionibus, ad mortẽ usque intentus, illi te parâsti: qui cuidam post mortem spectatus, illùm de animi levitate, ac puerili mobilitate vehementer increpuisti, cumque deinde in pede sanasti: in cujus sepulti crypta odor liliorum perceptus, & globus igneus conspectus est; pluresque ægri, vesperi istuc ingressi, manè incolumes exiêre. Ora, ut omnia, quæ tota die, tota vita ago, & quæ tota & vita, & morte agam, & patiar; ita agam, ut verè dicere possim: *Deus me docuit. Ita* agam omnia, prout ille me docet! ut in æternitate ibi sim ego discipulus, ubi est *Magister* meus Deus. Amen.

S. Gregori Archiep. totis noctibus coram Crucifixo prostrate, & centies adorans.

S. Castule Martyr, hospes *Sanctorum.*

Sancti Petre, *Marciane*, Jovine, Thecla, Cassiane, & alii Martyres.

Sancti Theodore Episc. *Irenæe*, Serapion, Ammoni, MM.

SS. *Montane* Presb. & Maxima, MM. flumine mersi.

Sancti Quadrate, Theodosi, Emmanuel, & alii quadraginta *Martyres*.

s. Eutichi, & alii *MM*. gladio cæsi.

Sancti Brauli, & Felix, Episcopi.

OMNES SANCTI, &c. *pag.*40.

S. MARIA, *cujus salutatoris Gabrielis Angeli dies est hodie apud Græcos: & cujus hodie* festum miraculorum, *apud Suessionenses celebratur. Per omnia, quæ per te miracula fecit Deus, te rogo doce me te bene salutare: fac mecum unum hoc miraculum, ut tandem sim perseveranter, ac serio fervens Dei servus, ac tuus!*

17. *Martii*. 6. Kal. *April*.

SAncte Ruperte Ep. *Apostolice*, regiâ stirpe nate; cui ipso Paschatis die, post Sacrum celebratum, morienti, Angeli læto cantu accinentes, animam suam ad æternum *Alleluja* duxerunt: & iidem è cælo splendidè candidati, funeri adfuerunt. Adesto mihi, cum *Angelis* tuis, ope tuâ; & mortem, aliàs horrendam, tuo tuorumque Angelorum auxilio, amabilem effice: ut uterque Deo nostro, in æternitatis Paschate, felix *Alleluja* cantemus æternùm. Amen.

S. *Alexander* miles Pannon, post multos pro Christo agones, & miracula, decollate.

S. Phi-

s. Philete, senator, cum uxore Lydia, & Macedone, ac Theoprepide filiis, itemque Amphilochie Duce, & Cronida. MM.

ss. Zanita, Lazare, Marota, Narses, & alii quinque, sævissimè trucidati.

S. Isaac, à tribus candidatis Angelis è spinis exempte, in quas te Valens Imp. à te, ob orthodoxam fidem vexatum, reprehensus, conjecerat: qui clausas Urbis portas signo Crucis aperuisti, aperi mihi cælum; & fac, ne illud mea inertia mihi claudam.

s. Augusta V. M. à patre Principe, ob fidem, vulsis duobus dentibus, inter duas arbores, suspendi jussa; sed, cum ab igne subjecto illæsa maneres, ad rotam, clavis consertam, damnata, & Angeli, rotam confringentis, opera liberata, capite truncata es.

s. Joannes Anachoreta, ad quem per annos quinquaginta nullus ingressus est, fœminis ne ad colloquium quidem, aut ad conspectum, admissis: qui infirmæ nobili fœminæ absenti, vivus tunc adhuc apparuisti; eamq; persanans memorem beneficiorum, à Deo acceptorum, & Deum timere jussisti: qui Theodosio Imperatori, quomodò, & quas victorias esset reportaturus, sæpè prædixisti, verus vates. Ora pro me, & juva me ut me vincam; ut in me triumphet Deus, non dæmon.

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 40.

S. MARIA, *cujus salutatio Angelica Ave MARIA, lingua hodie mortui clientis tui, literis aureis inscripta, reperta est. Inscribe linguam meam cor meum, animam meam: hæc omnia tibi transcribo, & per te offero, ad majorem gloriam Dei mei!*

28. *Martii*; 5. *Kal. Apr.*

S. Gunthramne Rex, qui, ut plura tibi pro morte, & judicio, auxilia præparares, in egenos, & templa, sanctè prodigus, ostensum, per quietem, & postea repertum, thesaurum opulentissimum, totum in pauperes, ac templa effudisti, habiturus thesaurum in cœlo. Ora, & doce me, sancte Rex, ut quicquid mihi morienti solatio, vel auxilio fore cognovero id faciam; & nunc, seriò, in singulis quæ ago, thesaurizem mihi thesauros amoris Dei æternos, hic, & in aurea æternitate. Amen.

Sancti Prisce, Malche, & Alexander, Martyres, bestiis dati.

Sancti Castor, & Dorothee, Martyres

Sancti Rogate, Successe, & alii sedecim Martyres

s. Sixte tertie, Papa.

s. Spes, Abba patientissime, in longa quadraginta annorum cæcitate, à qua divinitus tandem curatus es: cujus anima, in columbæ specie, visa est in cælum ascendere.

s. Canon, qui nobilissimos parentes reliquisti, factus s. Basilii filius, permotus auditâ illâ Evangelii sententiâ: *Qui amat patrem, aut matrem plus quàm me, non est me dignus*; qui Religiosum quendam ad mentem revocasti, dum, ob pecuniam ab illo congestã, vidisti dæmonẽ serpentis instar, illius gutturi circundatũ: qui ferreo cingulo adeò utebaris, ut sub eo vermes, è carne tua putrida, nascerentur: qui fœminam, pudicitiæ tuæ impudicam, & mendacem calumniatricem, ideoque à dæmone obsessam,

obsessam, mox innocentiæ tuæ testem, à dæmone liberâsti; qui Præfecti filiam ab apoplexia, educto ex illius auribus palmari verme, sanasti; magnus contra dolores aurium, dæmonesque patronus: cui, in ecstasi posito, Angelus nuntius mortis fuit, quam cælesti afflatus fragrantia, genibus humi fixis, campanis sponte sonantibus, obiisti.

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 40.

s. MARIA, *quæ cum orante hodierno, elevato à terra, cliente tuo, in imagine loqui es visa; quo viso is, qui calumniam in illum moliebatur, absterritus est. Eleva cor meum à terra; defende me, doce me tecum loqui!*

29. *Martii.* 4. *Kal. Apr.*

SAncte Eustachi Abba, sexcentorum fermè Monachorum sancte magister, tu idem divine morborum medice: quem, per quietem sibi ostensum, vidit puella ægra, vocemque audivit: *Quodcunque tibi dixerit vir iste, fac*: quam tu postea vigilem, à febri, oculorumque caligine persanasti: qui æger, per visionem nocturnam interrogatus, an per quadraginta dies remissius, an per triginta acriùs, torqueri doloribus velles? acriores triginta dierum dolores elegisti, trigesimo post die te moriturũ dicens, ac parans, atque tunc extinctus, impetra mihi, ut quicquid mihi, sive per inspirationes, sive per suos vicarios, dicit Deus, obedienter faciam, & quicquid ago, vel patior, sit mihi pretiosa occupatio, ad mortis felicissimè obeundæ exspectationem. Amen.

s. Jona, flagris, glacie, præcisis digitis cruciate, & capitis cute abrasa, lingua evulsa, in picem arden-

tem detruse, nec læse; in cochlea totis ossibus confracte; per medium secte Martyr.

S. Barachisi Jonæ frater, ardentibus glebis igneis, plumbo liquefacto in palpebras, & nares infuso; spinis, arundinibus laniate, cochleâ confracte, os bulliente pice replete, fratrem ad gloriã subsecute.

s. Cyrille Diacone Martyr, cujus jecur gustantes gentiles, dentibus amissis, putrefactis, & effluentibus linguis ac oculis, perierunt.

Sancti Pastor, Victorine, ac socii MM.

s. Armogastes Comes, pro Christo in tibiis, & fronte, nervis cruciate, & pede altero suspense, pro quo sepeliendo, egesta terra sub arbore, splendidum è marmore sacrophagum ostendit.

Sancti Mascula, & Sature, regiæ domûs procurator, Martyres.

s. Secunde Martyr.

s. Paule, qui, hoc die s. Franciscæ suasisti, ut solitudinem amaret, ac ibi *cum divino amore* sola tractaret, inde monuisti: *Firma te in amore Dei, habe mentem modestam, para te semper ad videndum Deum; & respice ea, quæ ei placent*, reverte in te & *lætare in Deo tuo.* Ædifica mihi sanctas solitudines, in quibus amor dei me inflammet, ac doceat quærere, quæ Deo placent.

OMNES SANCTI; &c. *pag.* 40.

S. MARIA, *cujus hodie miraculorum* de crypta *festum in Sicilia celebratur. Sim ego miraculum tuum, Domina, Mater admirabilis. Iuva me, ut sim in cælo inter eos, quos in vita, & morte, admirabiliter protexisti!*

S. MARIA, *quæ, hoc die, S. Fransisca splendida*

Fili

Filii tui Vulnera & te quoque, videnti, dixisti; Omnium, amor te strinxit, anima pulchra recipe poma pulcherrima, quæ amor Dei *produxit. Domina, cum dies mei sint* sicut naves, poma portantes; *imple meos dies pulcherrimis pomis, seu fructibus amoris Dei, doce cor meum Vulnera Christi tui aspicere; amore stringi, ac ad accipienda ejus munera dilatari!*

30. *Martii*, 3. *Kal. Apr.*

SAncte Regule Episc. qui ad aram, divino sacrificio intentus, tres columbas, trium Martyrum nomina ore ferentes, vidisti; ranis, sub concione foris coaxantibus, silentium indixisti; carceres ultrò tibi patêre, & vinctos dimittere fecisti; dæmonibus semper terribilis. Remove à me, quicquid me impedit ab iis, quæ Dei sunt: ora, ut nec nunc, nec in agone meo, audeat in me quicquam dæmon, toties à te victus, ut denique meum etiam nomen cælestes columbæ ferant, non infernales corvi; legarque inter electos. Amen.

s. Quirine tribune, cum tota domo baptizate, post linguæ abscissionem, equulei suspensionem, manuum, ac pedum detruncationem, gladio *M.*

s. Domnine, Victor, & socii M.

Omnes sancti Martyres Constantinopolitani, pro fide Catholicâ, inauditis tormentorum generibus occisi.

ss. Pastor, & Zosime Episcopi.

s. Joannes Climace, cujus cibus, potus, somnus, citra saturitatem fuit; qui magnus virtutis magister, tentationes adeò compescuisti, ut Angelica posteà libertate gauderes.

s. Clini Confessor.

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 40.

S. MARIA, *quæ trigesima Martii condito, ut agunt quidam, & lapso, homine, prædicta es à Deo, serpentis caput contritura. Contere caput illius, quicunque seu homo, seu dæmon mihi serpens est, ut me mordeat, ut me à bono quopiam abducat, vel in peccatum inducat. Fac me de illo victorem!*

31. Martii Prid Kal. April.

SAncte Guido, cui Martinus laicus, à morte tunc resurgens, dixit: visa à se terribilia loca pœnarũ, & multos istic notos, atque propinquos suos; adfuisse sibi trementi fortissimum virum, & stola candida tiaraque insignem, qui manu altera virgam, altera favum mellis tenens, eumque ad commedendum blandè invitans, dixerit se esse S. Michaelem, ad eum consolandum missum. Tùm se, comesto favo, jussum ab eo redire ad corpus, triduo adhuc victurum. Ita ille triduo illo, quo vixit, ajebat sibi esse in palato semper favi mellis dulcedinem, ac triduo post obiit, tua benedictione accepta. Tu Bertholdum quendam in amaro agone valdè luctantem, & ob conscientiæ stimulos mirè anxium, ut sibi redderetur, impetrasti, & antiquum quodpiam peccatum palam fassum, narrantemque, quàm horrendè illud (etsi per oblivionem tantùm in confessione exciderit) sibi objectassent in agone dæmones, animam præcipitare ad infernum conati; pœnitentia expiatum, ad felicem agonem juvisti. Juva & me, ubi me in difficili illo agone videris; ut in pace conscientiæ puræ, & in pace Christi, requiescam, Amen.

s. A mo

s. Amos Propheta, vecte per tempora transfixe.

Sancti Theodule, Anesi, Felix, Cornelia, & socii Martyres.

s. Benjamin Diacone, zelo plene, qui unguibus, arundinibus acutis confixus, & spinosa sude per alvum transmissâ *Martyr* effectus es.

s. Balbina filia, Quirini *Martyris*, Angelo paranympho, Christo desponsata, quando is tibi à struma sanatæ, apparens cum face, aspectu elegantissimo amabilis, dixit: JESUS *Christus, Balbina, te sanam fecit; & te in sponsam suam accepit.*

s. Francisca Romana, quæ, hoc die, deducta es in chorum *Seraphinorum*, in quo omnes calor suavissimus inflammabat; Seraphinorum uno tibi dicente: Fac in bono ut perseveres; quia *amor te expectat*, & vult, ut à te discedas; habe cor mundum, manus innocentes, intentionem rectam, Ascende, & sta semper *in divino amore*, anima ab *amore* ducitur ad *Seraphinos*, *& amore calet*, ac ardet; nec vult reverti ad sæculum obsitum spinis ac tenebris. Ita ille. Impetra mihi à Deo, ac Seraphinis, ignem exurentem spinas meas, illuminantem tenebras meas, & erudientem me in arte artium amoris Dei.

OMNES SANCTI &c. *pag* 40.

S. MARIA, *Lucensis, cujus hodie imago inclaruit occasione impii aleatoris. Impetra mihi veniam pro omnibus, quibus* JESUM, *quibus te offendi: & vel hinc tua gloria elucescat. Vtinam plus possem honorare, amare te, quàm ullus te unquam ignominia sua vel odio prosecutus!*

Ad majorem DEI, DEIPARÆ, ac Sanctorum omnium gloriam, & ultimi agonis nostri solatium sanctum.

ANNI CÆLESTIS PARS II.

Sive Aprilis, Majus, & Junius.

APRILIS.

1. *Aprilis. Kalendis Aprilis.*

S. Walerice, puer pastor, & hortulane, qui erucas oratione fugâsti; securas aves, ad manus tuas advolantes, pavisti; coram quo fœda locuti Sacerdos, & Præfectus, ille oculis captus est, hic fœdo morbo contabuit. Age ut quicquid loquor, cogito, facio, ne purissimos omnia videntis, & audientis, Dei oculos offendat; ut vivam, & moriar in Deo, coram Deo, propter Deum, Amen.

s. Theodora M. Sancti Hermetis Martyris soror,

s. Venanti Ep. M.

Sancti Victor, & Stephane, MM.

s. Marcari, pro sacrarum imaginum cultu exul.

s. Hugo Episc. quem, necdum natum, mater videbatur sibi videre ferri à s. Petro, aliisque Sanctis in cælum: qui per omnem vitam tentatione blasphemiæ, ad mortem usque, semper victor vexatus es: cui s. Bruno, ejusque socii, sub septem stellarum specie, sunt ostensi; qui aliquando, licèt æger, Orationem

tionem Dominicam, intra noctem unam, trecenties recitâsti; deinde (exemplo patris tui, in ætate extremâ se S. Brunonis disciplinæ addicentis) cum Carthusianis absconditus, in sancto silentio latuisti, omnium grande exemplum, doce & me tacere, atque orare.

S. Irene, quæ æternos ignes memorans, posteà Dei gloriam, & psalmos, læta voce, & vultu canens, combusta es.

OMNES SANCTI, quos felici morte defunctos, hodie felici æternitate donavit Deus.

Omnes Sancti mei nominis, & meæ patriæ, ac Patroni menstrui omnes.

Omnes Sancti nationis, & conditionis meæ.

Omnes Sancti, quibus sacra est illa, quæ mihi nascenti prima fuit dies.

Omnes Sancti, quibus sacra est illa, quæ mihi morienti ultima erit dies.

Omnes Sancti, & Sanctæ Dei; vos potissimum, qui in hac vitâ maximè excelluistis in amore Dei, tuq; ô MARIA, Mater agonizantium, orate pro omnibus hodie nascentibus, & hodie in agone supremo periclitantibus: impetrate mihi à Crucifixo Jesu felicem mortem, beatam æternitatem. Amen.

Credo, spero, amo, adoro te pulcherrime, ac optime, super omnia, Deus meus! & ideò de peccatis meis doleo; ac desidero plus dolere, & confiteri. Doleo super omnia, quod te tam ingratus offenderim, Deus meus, & omnia! In gratiarum actionem, & satisfactionem, offero tibi hujus diei, & vitæ meæ totius actiones, atque momenta singula, conjuncta omnibus lacrymis pœnitentium Sanctorum,

ctorum, omnibus guttis lacrymarum, & Sanguinis JESU, omnibus meritis JESU, MARIÆ. & omnium Electorum tuorum: ut te videre, ac amare unà cum illis, & unà tecum, merear in æternum. Amen.

S. MARIA, *cujus honori, hoc die, dedicatum est cœnobium Montis Angelorum, in quo auditus fuerat concentus canentium Angelorum. Impetra mihi, ut te purè laudem, idque non voce tantùm, sed & Angelico lingua, cordis, morumque concentu!*

S. MARIA, *qua Hugoni Abbati (tùm Novitio) tentato, ac sub tuum præsidium confugienti, unà cum Christo. nunc afflicto, nunc gratia pleno, adfuisti, ac dixisti:* Viriliter age, & confortetur cor tuum in Domino; certus esto, te deinceps talibus tentationibus non pulsandum. *Adesto & mihi: doce me sub tuum præsidium ita confugere, ut vincam!*

2. Aprlis. 4. Nonas April.

SAncte Francisce de Paulà, humilitate virginitate, juratis corporis afflictationibus, fundato religióso Ordine, trajecto super pallium, unà cum socio, freto Siciliæ, contemptu respectuum humanorum, prophetiis, miraculis, MARIÆ amore mirabilis; super quem globo igneo inscripta Charitas, tessera cordis tui, descendit è cælo. Experiar utinam & ego illos tuos ignes, etiam erga me explicatos. Certè si viveres, morienti mihi adesse posses, omni me ope juvares ad sanctam æternitatem. Nunc potes: juva. Descendat etiam in me è cælo & accendat, extinguat, confirmet, consummet me charitas,

Deus

Deus Ignis, ille æternâ omnium creaturarum charitate in æternum amari dignus Deus, qui charitas est: ut in charitate vivam, in illa moriar, æternùm charus charissimo Deo meo, & tuo. Amen.

s. Amphiane, pro Christo dilaniate, ac pedibus lino; in oleum intincto, & incenso obvolutis cruciate, & in mare demerse.

s. Theodosia Virgo, quæ cùm Sanctos ad tribunal salutares, ut pro te orarent, orares, lateribus, & toto pectore, ad interiora usque, dilaniato, in mare projecta es.

s. Theodore, quem, è scelere conceptum, utero ferens mater, te splendidæ stellæ instar, sibi videre visa ad castam frugem conversa est: qui à S. Georgio, matrem tuam stricto ense terrente, defensus es; ne à frequenti templi s. Georgi visitatione, vel à mare, vel à dæmone, id conato, impediri posses; qui feras mulcens, eas familiares habuisti: qui ad desertam Episcopalem insulam, increpante ac hortante te per quietem S. Georgio Martyre, ita reiisti, ut posteà te penitùs abdicares.

s. Urbane Episc, vinearum, ab injuriis cæli, defensor.

s. Niceti Episc. quem S. *Martinus* benedicens, à peste curavit. dæmonibus etiam post obitum terribilis: qui à morte oblocutori cuidam conspectus, dixisti: *peccator, conterende, desine stultè loqui*: alium è carcere liberasti: ad cujus sepulchrum orare divinitus jussus cæcus, oravit, & vidit: de cujus vita conscriptum librum, cùm suis oculis piè admovisset cæcus Diaconus, illicò dolorẽ ac tenebras omnes abstersit, vidit, & librum legit, guberna oculos meos

meos, linguam, cor & omnia; ut benè taceam, orem, loquar, videam.

s. Maria Ægyptiaca, quam Zosimus, dum oraret, vidit à terra sublimem: quæ per eundem Joanni Abbati nuntiâsti ignota ignoto: *Attende tibi ipsi, & gregi tuo; aliqua enim fiunt ibi, meritò emendanda.*

Sancti Abundi, & Urbane, Episcopi.

s. Genovefa, quæ apud maritum Comitem falsò accusata; & deserta, MARIAM cùm invocares, dicentem audisti: *Ego te non deseram.*

s. Musa virguncula, quæ à MARIA, tibi cum choro Virginum apparente, ut nugas, & levitates relinqueres monita, paruisti; & trigesimo post die MARIÆ, ad te in agone cum Virginibus venienti, & ad cœlum invitanti, acclamasti: *Ecce Domina, venio; ecce, Domina, venio*; & abiisti.

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 40.

S. MARIA, *cujus imaginem, septemdecim aureorum millibus æstimatam à Ludovico XI. Rege, dono oblatam accipere noluit hodiernus tuus* s. Franciscus de Paula; *aufer à me omnem, etiam in piis rebus, vanitatem; ut te colam ita ut coli vis: prout illi coluerunt, qui te optimè coluerunt!*

s. *MARIA, quæ de Arnulpho puero, ut ad religiosum Ordinem reciperetur, Guilielmo Villariensi conspecta dixisti:* Sine mora recipe illum; quia vas electionis est mihi. *Fac me vas electionis tibi, recipe me in album tuorum!*

3. Aprilis. 3 Nonas April.

SAncte Joseph Poëta sancte, cælestis hymnographe, cui in Cretensi carcere vincto S. Nicolaus Myrensis Ep. apparuit; Christi persecutorem, mortuum esse dixit; te Constantinopolim proficisci, ad multos confirmandos, jussit, libelli cælestis Particulam tibi commedendā porrexit, cui inscripta erant hæc divina verba: *Accelera misericors, festina miserator, adjutorium nostrum; quoniam volens potens es*, hæc te canere jussit, libellūq; comedere, id quod ubi tu fecisti, vinculis tibi de manibus, & collo cadentibus, Constantinopolim repentè liber translatus es. Qui acquisitis S. Bartholomæi, dilecti tui Apostoli, sacris lipsanis, cum iis mira patrari videres, templum Deo, S. Bartholomæi nomine condidisti, & Bartholomæus tuus tibi, dilecto clienti suo, sæpè conspectus per quietem, aperiebat tibi cælestia mysteria, ac Scripturæ nodos explicabat. Cùm verò desiderares illum dignis versibus celebrare; ut gratum carmen, amori ac honori ejus pangeres, per quadraginta dies variè te affligans, oransq; ad Sancti ejusdē reliquias, in ejus vigilia, eundem vidisti, qui templi valvas tenens, te accivit, ac Evangelii librum in tuo sinu deponens, dixit: *Benedicat tibi prapotentis Dei manus: influant in linguam tuam cælestis sapientiæ maria: fiat cor tuum sancti Spiritûs sedes; tuique cantus universum terrarum Orbem demulceant!* Ita ille tunc evanuit; tua verò sancta poesis *omnem somnum ac torporem à segnibus pigrisque hominibus excutiebat*, quâ *docebas*, *quomodo quies ac*

tran-

tranquillitas animi posset comparari. Qui mortis nuntio è cælo accepto, inter alia sic orasti: *Benedico tibi Deus ? quoniam sub umbra alarum tuarum me asservasti! nunc ad extremum usque spiritum me custodi, ac præsta, ut tenebrarum principem inviolatus effugiam; ne quando gaudeat super me inimicus meus propter delicta vitæ meæ*, quo moriente, vidit quidam, Beatissima Virgine præeunte, animam tuam, puellæ instar, à quatuor Angelis sursum ferri, qui *dicebant choris Sanctorum, acciperent animam beatissimam illius, qui eorum rectè facta & vitam imitatus esset, & carmine cecinisset.* Quo tempore omnes Sancti *illam incredibili lætitia complecti videbantur, euntem præ purissima Dei Genitrice*, cujus tu fuisti hymnographus MARIAnus. Dicebant de te tunc Angeli: *Hic est Iosephus, totius Ecclesiæ decus, & ornamentum, qui Apostolorum, Martyrumque res gestas & æmulatus fuerit & litteris commendaverit, sancti Spiritûs gratia donatus: nunc ei ab iisdem laudum honorumque vices rependuntur; nec quisquam in amplissimis cœli atriis reliquus factus est, quin suarum virtutum præconi, æmulatorique obviam processerit; nam omnes cœlestium virtutum ordines magna cum veneratione te complectebantur, præibant principes Angelorum, consequebantur Martyres, deinceps Prophetæ eorumque exercitus, qui sanctè pieque in Pontificatu vitam duxêre.* Ita tibi S. Bartholomæus, tuus Apostolus, felicitatem sacræ poesis ac sanctorum versuum dedit; morienti verò Sancti omnes & Sanctæ Dei, quos carmine aliquando celebraveras, adfuêre. Adsis, unà cum illis, & tu mihi morienti; & fac, ut Sanctos omnes ita hic colam, ut unà cum illis laudet
Deum:

Deum meum omnis cogitatio mea, ſcriptio mea, omnis actio mea, æternitas mea. *Amen.*

s. Prancrati Ep. M. cujus epiſtola, ex idoli collo ſuſpenſa, illi ſilentium indixit, qui cùm loquereris, *ignes ore jaculari* dicebaris, cæleſtia loquens (ut de te ſcribitur) *ſuaviſſimis, mellitiſſima lingua verbis,* unde plurium cordibus finem inſcripſiſti *divina lingua calamo,* quem ſpiritus ſanctus, dexteræ Dei digitus, dirigebat; poſteà, ob eandem fidem, morſibus, fuſtibus, lampadibus, gladiis obtruncate. Doce me tacere, doce loqui divina.

Sancti Evagri, & Benigne, MM.

Sanctæ Agape, & Chionia Virgines; quæ, à flammis intactæ, in oratione Deo animas reddidiſtis.

s. Bernarde *Archiep.* Primas Hiſpaniæ, divinæ Matris honori undequaque addicte.

s. Vulpiane, cum aſpide & cane, culeo inſute, & in mare demerſe.

s. Niceta, qui nugas omnes & facetias à tuo cœnobio penitus proſcripſiſti; *hac enim,* ajebas, *odit Spiritus ſanctus*; inſtituiſti autem, ut ibidem quotidie, partitè, ita totum pſalterium recitaretur, ut perpetua in eo loco eſſet oratio: qui religioſam diſciplinam cœnobio, mentem deliro, muto loquendi facultatem reſtituiſti: ad quem iturus juvenis (ut dæmonis, qui eum à religionis deſiderio abſtrahere nitebatur, inſidias aperiret) vidit ante tuum conclave dæmonem, ſerpentis ſpecie, ſe volutantem, & ne ad te poſſet ingredi prohibentem, at tu & dæmonem fugaſti, & juvenem in deſiderio ſancto firmâſti, atque à vexatore illo improbo liberâſti. Libera & me; ne ab occulto aliquo dæmonio abſtrahar ab

iis, ad quæ divino instinctu invitor; doce me semper sine intermissione orare, & nunquam deficere: fac, ut ea omnia semper caveam, quæ *odit Spiritus sanctus*, faciam verò, quæ amat.

S. Richarde Episc. qui pane uno, mirè multiplicato, tria pauperum millia satiâsti; & ea, quæ superterant fragmenta, centum aliis suffecêre; idque non semel factū: qui cilicio, & loricâ te affligens, mortem obiisti in amplexibus Crucifixi.

S. Burgundofora Virgo, quæ, cum tuis Monialibus, Monialem à mortuis ad vitam resurgentem, & post triduum, canentibus Angelis, morientem vidisti; quam benè monentem audire nolentes duæ Novitiæ, te illis confessionem seriam suggerente, respondebant: *Cras*, *Cras*; & in morbo extremo ajebant, se ab Æthiopibus exspectari; post mortem verò, & ignis earum sepulchro visus est imminere, & hæ voces auditæ: *Væ mihi! Væ mihi!* cumque sepulchrum aperiri jussisses, earum corpora reperta non sunt; sed cineres in sepulchro exusto. Impetra mihi cor contritum; & ut ita vivam, prout viverem, si à morte ad vitam rediissem.

S. Francisca, cui sub Dei throno *ignis*, id est, *amor*; hoc die ostensus est, *voce ab igne profectâ*. Habe cor præparatum, exulta *in magna abysso amoris*: esto attenta, *quando ab illo vocaberis*. Imple me igne illo: & perfice aures meas, ut vocē ignis illius, mihi per inspirationes ad cor loquentis, obedienter audiam.

OMNES SANCTI, &c. pag. 40.

S. MARIA, Mater gratiæ, Mater misericordiæ! *qua nomina hoc die suæ mortis, repeti sibi sæpè voluit Sanctus tuus* Richardus *Episcopus. Fac mecum etiam*

quod ille sibi petivit, & tu me ab hoste protege, ac horâ mortis suscipe!

S. MARIA, cujus imago, cum Cruce, ac JESU *Filii tui imagine, à* s. Pancratio *Ep. è muris Tauromeniensis Urbis ab Ethnicis obsessæ ostentata, libertatem Urbi, & victoriam attulit, hostibus in mutuam cædem versis. Sim ego Urbs tua cujus muros custodias, ac defendas, & cui à Filio tuo impetres certum, etiam ex ipsa tentatione, proventum!*

4. Aprlis. Pridie Nonas April.

SAncte Theodule juvenis, qui è cœlo, unà cum s. Agothopede, ad patiendum armatus, carnifices tormenta ferendo fatigâsti; cui è cœlo quoque dono datus est annulus, quem ægri ut primum tangebant, illicò liberabantur à morbis: qui post verbera pulchrior esse conspectus es, &, unà cum socio mari mersus; post mortem autem, stolâ & decora veste insignis apparuisti, & præcipisti, ut facultates tuæ viduis ex æquo distribuerentur, ac orphanis. Excita miserum hoc corpus, ut pro Deo patiatur libenter in oratione, jejuniis, morbis ubique; ut post mortem felicem, pro momentaneo, quod passum est, æternitate gloriæ induatur. Non curet nunc, quid suave sit ac facile; sed quid placeat Deo: si enim hic animæ non obedierit, æterna deformitate ac tormentis cruciabitur, si obedierit, æternâ pulchritudine vestietur. *Amen.*

S. Ambrosi, Italiæ *Apostole*, Doctor Ecclesiæ, de quo Reges dicebant, te dicere soli: *Sta*, & solem stare, qui mortuum infantem vitæ ac matri reddidisti:

sti: cujus in psalmum quadragesimum tertium, commentarium dictantis, caput igne cælesti repentè coopertum Paulinus amanuensis tuus vidit, igne illo tuum os mox ingresso, & facie tuâ, instar nivis, candida & lucente.

B. Hermanne Joseph, cui Beatissima Virgo lapidem ostendit, sub quo pecuniam invenires, quoties indigeres; cùm tamen, sub eodem lapide, nihil alii reperiretur; cui questo, quod officia quædam pietatis exequi non posses, ob labores tibi imperatos, respondit Dei *Mater*; majoris momenti rem esse, suis fratribus ex charitate servire: quam in cubiculo aliquando visens Deipara, multas in illo miræ fragrantiæ rosas, quas tu omnes in pretioso calice collegisti.

s. Isidore Episc. eloquentia, liberis, eleemosynis, miraculis illustrissime; qui felicem animam in templo, postquam universo gregi benedixisti, Deo reddidisti.

s. Guilielme Eremita, magne incurabilium, & peste contactorum, advocate: cujus corpus enectum jejuniis, humi supplex, inter odoramenta cælestia, reliquit anima hinc discedens.

s. Aleydis, s. Bernardi mater; quæ mortem, quam divinitus prævidisti, hodie sub Litaniis obiisti, ad illa verba; *Per Crucem, & Passionem tuam.*

s. Plato, pravæ conversationis osor, cum discipulis pro veritate exul, multa sæpè passe; qui viso sepulchro tuo gratias Deo agens, teque ad mortem componens, lætus cecinisti: *Resurgent mortui, & exsurgent, qui sunt in monumentis; & lætabuntur, qui sunt in terra.*

S. Zosime

s. Zosime Anachoreta, qui S. Mariæ Ægyptiacæ Sanctum viaticum dedisti, ejusque funus curasti.

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 229.

S. MARIA, quæ hodie morientis Indi, clientis tui, conclave odoribus implevisti illum invisens unà cum Christo & Sanctis. Veni ad me juvandum Domina, in die illâ tremendâ; habe singularem curam ultimæ horæ meæ!

5. Aprilis. Nonis April.

SAncte Vincenti, MARIÆ amore, lacrymarum, & prædicationis gratiâ, doctrinâ, contra carnem, & visibiles etiam dæmones, victoriâ mirabilis, amabilis: cui, S. Hieronymum de virginitate MARIÆ legenti, ac Deiparam pro puritatis dono roganti, dæmon auditus, non visus, dixit; se, ut tam honorato Virginis nomine gaudeas, non passurum: sed implorata, & se tibi coram spectabilem præbens Virgo Mater, eam vocem dæmonis esse dixit, *qui*, ajebat illa, *tibi proponit bonorum operum difficultatem, ut territus à virtute desistas. Tu autem cautus esto, & constanti animo persevera. Et quanquam tibi crebras parabit insidias, ac frequenter conabitur, ut periclitetur puritas tua, utque cæteræ virtutes, quæ in te sunt, corruant, tamen ne diffidas. Spera semper in Deo; quoniam ipse erit clypeus tuus, quo diaboli artes magnanimiter superabis*, cujus nomen obscenis mendaciis, per calumniam, traductum, mirè defendit Deus; teque admirabili & linguarum, & ad populum dicendi, dono, ac miraculis illustravit: quem

s. Dominicus, è cœlo conſpicuus, hortatus eſt ad virtutem: qui matrem tuam in cœlis gaudere, divinitùs didiciſti; cui dæmon, cur puellam obſediſſet? interroganti, reſpondit; eò quòd illa ſe Cruce non ſignâſſet, ac pulſus eſt: cui ægro Chriſtus, cum Sanctis Dominico, & Franciſco, ac Angelis, apparens, reddidit ſanitatem, monuit, ut ab aula diſcederes; Eccleſiæ pacem prædixit; ut populo de die Judicii concionareris, impetravit; mortem felicem promiſit, Apoſtole, Propheta, Thaumaturge; Dei, & MARIÆ ſerve fidelis uſque ad mortem! veni in auxilium & mihi morienti, unà cum JESU, MARIA, Ss. Dominico, & Franciſco, ac Angelis. Accende mihi cor. Ora, ut nulli ſit ſcandalo; plurimis verò exemplo vita mea, & mors: ut me, ita viventem, ex hac vita eximat, & vitæ æternæ det beata mors. Amen.

s. Irene Virgo, quæ, cum ſororibus, nudari juſſa, nullâ vi potuiſti, & cum iiſdem, per Angelos, ex igne, è lupanari, illæſa educta, demum ſagittâ percuſſa, ab Angelis in cælum inducta es.

Quinque ſancti Martyres Lesbii.

S. Zeno, qui detractâ pelle, pice illitus, in ignem conjectus es.

Sancti Martyres Africani, die Paſchæ, in Eccleſia cæſi: quorum Lector, dum in pulpito Alleluja cantaret, ſagittâ in gutture transfixus eſt.

Sancte Therme, & Pherbuta, ejus ſoror, quibus, unà cum ancilla, ſerra diſſectis, Deus cælũ aperuit.

OMNES SANCTI, &c. *pag* 250.

S. MARIA, Vincentii *tui magna conſultrix, atque adjutrix; quæ illum, coram tuâ imagine orante*

cum à dæmone, ad differendam usque ad senium pœnitentiam, tentaretur, ita juvisti, ut ope tua dæmon ab illo victus fuerit, & fugatus. Da & mihi virtutem contra hostes tuos, fac me parere tuis consiliis, fac ut faciam sanus nunc id, quod moriens vellem à me tempestivè factum esse in vita!

6. Aprilis. 8. Idus April.

SAncte Wilhelme, cui, pulcherrimi adolescentis specie, conspectus JESUS dixit: *Noveris, te multa perpessurum: sed iis, ope mea, superatis, ad me venies in cælestem paradisum*, cui ægro apparuit S. Genovefa Virgo, & dixit: *Noli timere; quoniam bonum Deum habemus, JESUM Filium Dei*, & incolumis evigilasti, cui duodecimo ante mortem anno, paratam in florido loco, ac domo splendidâ sedem, & coronam, sed necdum absolutam vidit tuus discipulus: quem in cœlum euntem conspicatus alius quidam profugus, ad religionem reversus est: quem morientem, cum splendido Sanctorum cœtu, invisit JESUS; mortuum Angeli duo hinc atque hinc sustentare, ac in cælum ferre sunt visi, suavissimo cæli concentu audito, dæmonibus autem frequentibus. Impetra mihi dignam beatâ æternitate patientiam: fac, ut sciam æstimare æternitatem, ac tempora mea metiri ad regulam æternitatis! Ora, ut hoc unum doceat me JESUS, ut sciam, & velim, & faciam, ut mors mea sit felix finis temporis, sic felix initium æternitatis. Amen.

s. Sixte Papa Martyr.

s. Henrice, qui passim mundi dictus es inimi-

cus, ob insignem eorum contemplationem, quæ mundi sunt.

s. Galla, Vidua nobilis, cui in acerbis cancri doloribus, S. Petrus Apostolus æternæ vitæ, paulò pòst adeundæ, nuntius apparuit.

Sancti Timothee, & Diogenes, MM.

sancti centum viginti Martyres.

Ss. Platonides, & alli duo Martyres.

s. Marcelline M. ab hæreticis occise.

s. Cælestine Papa.

s. Celse Episc.

s. Eutychi, Patriarha Constantinopolitane, quem cùm utero ferret mater, lux è cælo & illam & lectulum circumfulsit: qui oleo, de Cruce Christi, ac B. Virginis imagine, manante, mira patrasti: qui morbos, & dæmones à pluribus fugasti: etiam à juvene, ob desertam religionem obsesso: cæco restituisti oculorum lumen, quod in purjurii pœnam amiserat: farinam auxisti, & fame laborantes mirè saturasti; impetra è cælo lumen, & misericordiæ oleum cordi meo.

s. Philarete junior, qui una alteraque hebdomada, ab omni ferè cibo abstinuisti; postea, jussu obedientiæ, boum pastor, ac demum hortulane, qui in dusio, è stramine sportisque contexto, indutus, fune catenisque præcinctus, linguæ custos admirabilis, quinquagesimo ætatis anno mortuus, cùm nullũ omninò miraculum patrasses in vita, post mortẽ odores miri, ac beata lux, è laceris tuis vestibus ac sepulchro effusa: cæca, divinitùs eò missæ, reddiẽ tum oculis lumen, ægriq; plures persanati, te celebrem reddidere. Doce me regere linguam meam, subi-

subigere corpus meum, lucrari animam meam.

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 229.

S. *MARIA quæ dixisti de Zenone Imp. hodie moriente, liberales in eleemosynam illius manus prohibere quò minus citiùs divina in illum vindicta descendat. Doce me artes, quibus divinam misericordiam mihi devinciam in æternum!*

7. April. 7. Idus April.

B. Hermanne Joseph, cui MARIA, cum JESU Sponsi sui nomen dedit: qui JESU, & Joanni parvulis parvulus collusisti, ac MARIÆ nomen humi prostratus, odoribus cælestibus afflari te sensisti, & recreari totum: quę brachio, ab aperta vena saucio, incumbentem Deipara excitavit, periculiq; admonuit, dentes duos prolapso tibi excussos, restituit; qui Religiosos, piè psallentes, vidisti thure ab Angelis honorari, eosdemque Angelos negligentibus vultu verbisq; minari: cujus in orando negligentiam coarguit Beatissima Virgo, tibi vultu squalido spectandam præbens: cui divinis attente operanti hinc JESUS, inde MARIA, adstare sunt visi, te sustentantes: quem mortuum Deus magnis miraculis honoravit. Ora, ut me ad orandum excitent, ut languentem ad divina sustentent, atque accedant JESUS & MARIA, quos utinam seriò amare tandem. Fortè hactenùs mihi blanditus tantùm, decepi meipsum, quasi verò & ego inter illos sim, qui illos amant! Fac, ut curram jam seriò in odorem duorum illorum, JESU & MARIÆ. Sint mihi morienti magno solatio duo illa nomina! ut

ubi in terra, felici morte proſtratum, jacuerit pigrum hoc meum corpus, odore cœleſti paſcat in cœlo animam meam Deus. Amen.

Sancti Epiphani Ep. Donate, Rufine, & alii tredecim Martyres.

Sancti ducenti Martyres.

s. Calliopi, qui cùm plumbatis, nervis, igne, rotis acutis tentareris, Angelus rotam ſtitit, ignem extinxit, ac deinde & à matre, & è cælo confortatũ, & Cruci, S. Petri inſtar, affixum, Angeli ad æternitatis gloriam evocârunt; quem exanimem complexa mater, ſecuta in cælum eſt.

s. Waltere, ſtaturâ puſille, humilitate ac innocentia eminentiſſime; quo moriente, viſa eſt columna lucis ignea, à culmine cœnobii, ad cælum uſque porrecta.

s. Cyriace, & alii decem Martyres.

s. Peleuſi Presb. & Martyr.

s. Hegeſippe, Sanctorum ſcriptor & æmule.

s. Saturnine Ep.

s. Aphraates Anachoreta, cui mortem minatus impii Valentis adulator eunuchus, brevi amens in fervens balneum ſe dedit præcipitem, ac ibi ſubmerſus eſt: qui adulterum per artes dæmonis, à proba ſua conjuge alienum, precibus pro illo fuſis, ab obſcœnis immundi ſpiritus incantamentis liberâſti, & caſtæ conjugi reddidiſti: oleo, & aqua Cruce ſignatâ, equum Imperatoris ſanitati reddidiſti; eadẽ locuſtas ab agro viri probi fugaſti. Arce à me machinas immundi illius; ne quid in carnem meam, vel in ſpiritum meum, dolis ſuis poſſit.

s. Al-

s. Alberti, qui auditâ S. Theobaldi vitâ (quæ in paterna tua domo canebatur) ad vitæ religiosæ desiderium exarsisti, & vestem ab alba aquila accepisti; qui acceptâ posteà, in deserto, à MARIA Virgine, panis buccella, totis viginti duobus annis nil comedisti, totis viginti nil bibisti; centies quotidie MARIÆ *Ave* dixisti, somni hostis constantissime, pœnitentium pater!

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 229.

S. MARIA, quæ sancti tui Alberti, *à te, in extrema necessitate, cibo recreati, actiones singulas mirè laudâsti, quando* omnem ejus vitam Filio tuo juge sacrificium esse *dixisti. Fac, ut singula momenta vitæ meæ sint juge sacrificium, imò holocaustum amoris Deo. Ne me deseras in extrema, & necessitatum omnium maxima illa necessitate, & in hora mortis meæ.*

8. *Aprilis.* 6. *Idus April.*

S. Wicterpe Episc. qui ostensa Divæ Herlucæ Virgini Christo, *Ecce Homo*! illi expallescenti, Jesu carnificem, cujusdam impuritatem, esse dixisti; eidemque Virgini, etiam post mortem tuam, semper ad mensam Eucharisticam comes adfuisti. Esto & mihi comes, cùm aliàs, tùm maximè, quando ultimò accipiam illud viaticum, & pharmacum immortalitatis; ut JESUM in cœlo, mihi ostendens dicas: *Ecce Homo*! *Ecce Deus*! & corde sancto illum unà æternis amoribus amemus. *Amen.*

s. Ædesi, s. *Apphiani virginitatis vindex, mari merse.*

Sancti Januari, Maxima, & Macaria, Martyres.

s. Concessa Martyr.
s. Bademe Martyr, zelo plene.
Sancti Herodion, Asyncrite,& Phlegon.
s. Dionysi Episc. doctissime.
Sancti Perpetue, & Amanti, Episcopi.
s. Redempte Episc. qui S. Eutychium, ad cujus sepulchrum orabas, vidisti,& dicenti: *Redempte, vigilas? Vigilo*, respondisti,& ab illo, futuras calamitates prædicente, hæc demum verba, tertiò repetita, audisti: *Finis venit universæ carnis*; & simul hastas, ac discurrentes in cœlo igneas acies, aspexisti.

B. Guilielme, qui, post mortem, in veste pretiosissima,& aurea corona, lapidibus nobili, visus dixisti, lapides illos,& gloriam tibi datam, ob adversa, quæ innocens, à linguis obloquentium, es perpessus, & Deo quotidie in patientia obtulisti; coronam verò, pro ea victoria sæpiùs repetita, quâ, in observandis religiosæ disciplinæ legibus, te vicisti. Fac, ut & ego vivam ad cœlestem amussim.

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 229.

S. MARIA, *quæ hodie puerum in furno ardente, illi adspectabilis facta, servâsti: serva me nunc ab iis, quæ malè possunt incendere, ac deinde igne æterno!*

9. *Aprilis.* 5. *Idus April.*

SAncta Maria Ægyptiaca, quæ divinâ vi, ter, à templi ingressu, ob tuas turpitudines, repulsa, tandem per pœnitentiam, & MARIAM admissa, ab eadem Jordanem transire pro quiete jussa, ibi plus quam quadraginta annis recogitâsti, & deflevisti impuros annos tuos, insalutari amaritudine animæ

tuæ, ibi à S. Zosimo, sanctissimo Christi corpore pasta, posteà, leone sepulchrum tibi fodiente, mortua reperta es. O magna, MARIÆ Virginis ope de tentantibus te pœnitentem hostibus triumphatrix! Impetra mihi à JESU, per MARIAM; ut nunc seriò illa omnia amare defleam, quæcunque amariorem reddere mihi possent amarum aliàs etiam agonem mortis meæ, & non repellar, sed inducar in templum æternum. Amen.

s. Prochore Ep. M. s. Stephani Diaconi nepos, & s. Joannis Evangelistæ dilecte comes in Asia.

s. Waldetrudis, s. Vincentii Comitis conjux, & plurium sanctorum filiorum, ac filiarum, mater, cui post virum, religiosæ vitæ jam addictum, in sæculo hærenti, ac diliberabundæ S. Gangericus Ep. apparuit; calicem vino plenum, tibi offerens, dixit; *Age quod agis*; & abiit. Fac me divinis instinctibus obedire.

Sancti Demetri, Concesse, Hilari, & socii MM.

Sanctæ septem Virgines Martyres.

S. Eupsychi Martyr.

s. Gaucheri, columbæ ductu in solitudinem quietam deducte.

Sancti Martyres Massylitani.

s. Accati Ep. captivorum redemptor.

s. Hugo, & Marcelle, Episcopi.

s. Maria Cleophæ, S. *MARIÆ*, Dei Matris, soror.

s. Monica, S. *Augustini* mater.

OMNES SANCTI, &c. *pag* 229.

S. MARIA, *cui* Ave *MARIA*, *sæpe dicentis* Guilielmi *tui, hodie mortui, sepulchrum*; *lilio aureis literis* Ave Maria, *inscriptum habente*, *honoravit Deus*.

Ora, ut oratio mea omnis, & actio sint casti flores, sint aurea ornamenta, quibus unicè delectaris!

S. MARIA, cujus nomine ac jussu, hoc die, S. Franciscæ dixit S. Paulus, mentem benè ordinatam, semper esse firmam; nec tædio, vel damno affici, nisi cum suo arbitratu rem agit: te curam suscipere illarum animarum, quæ suos sensus in puritate custodiunt. Pone, Domina, custodiam ori meo, auribus oculis, ac omnibus internis & externis sensibus meis: & fac: ut agam omnia, non meo sed tuo arbitratu sine tædio, cum amore!

10. *April.* 4. *Idus April.*

SAncte Marcari, ad Christi sepulchrum peregrine, qui ad ossa usque laceratus, tribusque clavis pavimento affixus, ignito super pectus saxo imposito, ab Angelis adjutus es, & deinceps mira per orbem late patrans, in Flandria tandem victimam te lui grassanti dedisti, ac prodiis cælestibus, post mortem etiam, clarus, non nisi in dicata MARIÆ crypta condi voluisti. Eja age, ut ita me Angeli, ita tu, ita MARIA, ita Deus hic peregrinum juvent, ut ab animi peste omni sim semper immunis, & sanus, ac æger, Dei semper sim victima, simque etiam moriens vivum holocaustum Deo. Amen.

Domine JESU, cujus *Corona spinia* festum hodie in Hispania celebratur, miserere mei illo modo, qui tibi maximè gloriosus, & mihi maximè necessarius est.

s. Notgere Episc. qui, famis tempore, annonam è cælo impetrasti.

s. Ezechiel Propheta Martyr.

Omnes

Omnes sancti Romani Martyres, ligatis ad colla lapidibus mari mersi.

Sancti Apolloni, & alii quinque Martyres, in mare demersi.

Sancti Terenti, Africani, Pompei, & Maxime, MM. qui in idola insufflâstis, & ea, signo Crucis edito, confregistis, ac in pulverem redegistis: quos fame ac tormentis in carcere cruciatos Angelus invisit, & dixit: Servi Dei Altissimi, consurgite; & corpora vestra curate: quiescite, & cibum capite, quem vobis Christus misit; & candente Angeli opera ferro, liberi mensæ, benè divinitùs instructæ, assedistis refecti, atque à custodibus, in splendore miro gaudentes, inventi, postridie verò ungulis cruciati, tormenta nil sensistis; posteà nec à feris, in vos incitatis, læsi, conspecto à custodibus Angelo illas arcente, tandem gladio plex estis. Impetrate mihi fortes animos contra omnia, quæ me à Christo tentant avellere.

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 250.

S. MARIA, cui hodie mortuus, Gregorius XIII. *tuus Pontifex, rosam auream dono misit (ut Regina) Lauretum, qua Dominica* Lætare *consecratur. Tu sis Regina cordis mei; tibi consecro lætitiam meam omnem; tibi dono, qua ago omnia. Tu offer Deo illa & me!*

S. MARIA, qua sancto tuo Fulberto, *ægro ac sitienti lac è purissimis tuis uberibus propinasti. Non sum dignus his deliciis tuis: sed fac tu me dignum, ut non excidam ab æternis.*

S. MARIA, ad quam in Eremo Helvetiæ visendam repens Anna puella incurvis pedibus, & contractis nervis ab infantia miserablis in ipso ad te itinere, hoc die,

anno 1580. *persanata est ab obvio viro, candidis vestibus spectabili, & paulò post evanescente, postquam ei auctor fuit, ut iter ad te prosequeretur, Deum coleret, sacris lubens adesset: ita Deum, ita te Dei Matrem illi fore propitiam. Sana me Domina; tolle omnia quæ me sive in corpore, sive in anima impediunt, quò minùs ita te colam, uti par est. Perfice gressus meos in semitis Dei, ô Mater Dei!*

11. *Aprilis.* 3. *Idus Aprilis.*

SAncte Guthlace, è milite Eremita, quo nascituro, natalis tuæ domûs portam manus rubra & fulgens, Cruce signare conspecta est: quem à dæmone ad desperationem tentatum, visens S. Bartholomæus Apost. *Confortare*, ajebat, *fili, & esto robustus, manum tuam misisti ad fortia, non decet tanti propositi professorem, modico tentationis turbine subverti. Impulsus eversus es, ut caderes; sed ego oravi pro te, & adjutus es*, qui inferni abyssum tibi ostensam vidisti, ad oculorum, aurium, narium, ac totius corporis tormenta, istic visu, auditu, odoratu, gustatu, tactu percepta, attonitus, dæmonibus te ad illa damnatum contendentibus; at à S. Bartholomæo, Apostolo tuo, fugatis, quod cùm fieret, choros audisti psallentium in excelso: *Ibunt Sancti de virtute in virtutem, videbitur Deus Deorum in Sion*: qui ægrum tumidum cilicio tuo cinxisti; & illicò persanasti; cui quotidie manè ac vesperi spectabilis Angelus adfuit, quem ajebas esse *Angelum* tuæ *consolationis*, te variè in tentationibus firmantem ac recreantem; & arcana cælestia pandentē: è cujus morientis ore suavi-

suavitas tanta erupit, ut rosæ istic sparsæ, ac effusus odor balsami videretur; & eodem tempore conspecta est turris igne, sole illustrior, à terra in cœlum usque porrecta: qui post mortem, afflicto cuidam, tuum auxilium petenti, conspicuus, dixisti; *Fili charissime Dominus te respexit, confide & conforta*-*re* qui à discipulo tuo triumphans in cœlo visus es. Age, ut ita me ad triumphos illos præparet per meum Custodem Angelum Deus, ut Angelo meo semper, dæmoni nunquam, obediam, quicquid suggerat: quotidie, & manè, & vesperi me parem diei æterno; & ibi, cum bonis Angelis, ac tecum, in triumpho perennis gloriæ triumphem ad majorem Dei gloriam. *Amen*.

S. Leo Papa magne, qui Attilæ, flagelli Dei, furias, adstante tibi viro cælitus armato, fregisti.

S. *Antipa*, pro Christo in bovem æneum candentem conjecte, inter orandum extincte.

S. Domnio Episc. cum octo militibus Martyr.

S. Philippe Ep. Ecclesiæ propugnator.

S. Eustorgi Presb.

S. Isaac Monache.

S. Basanuphi *Anachoreta*.

S. Godebeuta Virgo, contra pestem advocata.

OMNES SANCTI, &c. *pag* 229.

S. MARIÆ, quæ hodie in monte Serrato lumen cæco restituisti: Illumina me, Domina, ut videam, ne sim inter cæcos æternum!

12. *Aprilis. Pridie Idus April.*

SAncte *Alferi*, è Legato regio Eremita, qui à dæmone è monte altissimo præcipitat⁹, incolumis

rjsisti

rifisti, hominem saxo obtritum suscitasti: oratione tua febres, dentium dolores, oculorum tenebras fugasti; mortuum vitæ reddidisti, quinque ova multiplicâsti, ut plures homines satiârint; qui centum viginti annos natus sexto ante mortem die, Christũ tibi dicentem audisti; *Die cœna mea venies ad me*, & abiisti lætus ac felix: qui post mortem visus Nicolao cuidam, casto, sed turpe quiddam, illusione dæmonum patienti, dum sacram synaxim vellet accedere, nec se per ullas preces, lacrymas, jejunia, à sordibus illis expedire valenti, atq; carnis munditiam à Deo postulanti, dixisti, eum aquâ ex ara erumpente lavans: *Vade, quia jam mundus eris*, & ille, ab eo tempore, fœda illa immundi spiritûs inquinamenta non sensit: qui quendam, obtentu valetudinis, tempore orationis dormientem, jam tùm mortuus excitâsti, & veste correptum, ad orantes reliquos duxist. Munda cor meum, & carnem, & sensus omnes: ablue me: excita me ad vigilanter ac sanctè orandum. Impetra mihi à Deo meo vires solidas, & Dei cordi affixum cor, ut hoc velim, quod Deus vult, non verò id, quod præcipitare me volens dæmon, aut caro, vel mundus; atque ita me è lecto mortis meæ ad cœnam vitæ æternæ invitet, ac perducat Rex æternæ gloriæ. Amen.

S. Zeno, constans, & ardens Ep. Mart.

S Saba, sponte tuâ pauperrime, qui novis, novisque, iisque immanissimis suppliciis ferendis, Dei amore dolores temperante, carnifices lassasti; & cùm in aquas injicereris, ardenter exclamâsti: *Ecce video, qui me expectant; ut præparatam à Deo justitiæ coronam capiti meo imponant.*

S. Victor

S. Victor catechumene, capite plexe, tuomet sanguine baptizate.

S. Vissia Virgo M.

S. Juli Papa

Sancti Constantine, & Damiane, Episcopi.

S. Paule qui, hoc die, S. Franciscum instruens, de Christo glorioso dixisti : *Omnes ardemus amore ipsius. Dei amor te semper quærit, & facit te ardere, fac, ut eum teneas undequaque.* Doce me quoque sic ardere, Deum tenere; ac ejus amorem ita scitè ac perseveranter quærere, ut eum inveniam.

OMNES SANCTI. &c. *pag.* 229.

S. MARIA, *Silvaducensis, quæ hodie mutum puerum repentè loquendi facultate donasti, Doce me tacere, & loqui; ut lingua mea sit sapiens organum laudis Dei & tuæ!*

S. MARIA, *cui B.* Petrus *templum ædificavit tibi, ubi tabulam reperit inscriptam aureis literis, in hac verba,* Ave MARIA! *Sit cor meum tabula tua, ibi, à te, amoris auro inscripta!*

13. *Aprilis. Idibus April.*

SAncte Joannes Hermenegilde Rex, cælestis juvenis, qui a Rege Ariano patre, collo, ac manibus in carcere ferro vinctus, ipsa Paschatis nocte securi percussus cerebro effuso, inter cantus Angelicos, collucentibus ad corpus cælestibus lampadibus, felix ad regnum omnium sæculorum abiisti. Sancte juvenis, doce me ita humanos respectus, timores, ac spes omnes, pro Deo, ac æternitate despicere, sicut tu Regis patris minas & preces, & promissa despexisti; ut nullus dæmonum, nullus hominum

nulla creatura me à Deo meo possit abducere, sed in illo sperem, illum amem, illum timeam, qui verè dignus est super omnia timeri, atque amari: in cujus manu & cælum est, & gehenna, postquam corpus felici, vel infelici morte occiderit. Tu felicem mihi impetra; ut mihi tecum sit felix æternùm vita, Amen.

Ss. Carpe Episc. Papyle Diacone, Agathonica, ejus soror, & Agathodore, eorum famule, aliique socii MM. inter tormenta ab Angelis confirmati, spineis virgis lacerati, latera exusta sale aspersi, per ferreos murices tracti, sed illæsi, feris nil tacti, ferreis crepidis clavisque cruciati, in lacum vivæ calcis demissi, restincto etiam igne, post ardentes pro persecutoribus preces decollati.

s. Justine Philosophe, fidei defensor doctissime, unà cum sociis, securi percusse.

Sancti Maxime, Quinctiliane, & Dada, Martyres.

s. Urse Episc.

s. Marti Abba, austere in corpus ægrorum asylum.

Omnes Sancti, &c. *pag.* 229.

S. Maria, *cujus imago, & Jesu tui & Iosephi Sponsi tui, in corde hodiernæ* Margaritæ de Castro *reperta est, diademate coronata. Expelle à corde meo imagines alienas: imprime illi* Jesum, *te, & Iosephum!*

Sancta MARIA, *qua* Balduino *tuo dixisti; te esse coadjutorem, & cooperatricem in omnibus assistere. qua* Idam *hodiernam, cum S. Ioanne Evangelistâ, ad sacram mensam deduxisti, & reduxisti, Angelo praeunte

eunte cum incenso atque lucernâ ; qua item in ejusdem Idæ, *sacrificium Missæ audientu, sinu* JESUM *parvulum collocâsti. Deduc me, ut ad sancta sanctè accedam!*

14. *Aprilis.* 18. *Kal. Maji.*

SAnctaLyduinaVirgo tenera,gravissimis triginta octo annorum doloribus, ad sanctam mortem, ad sanctam æternitatem, præparata ; ab Angelo ad paradisum, ad mira alia videnda, ducta : quæ per annos plures nullo, nisi corporis Christi, cibo refecta, nec potu, nec somno es usa ; quam visitantium passus Angeli numerabant:cujus frontem feriâ quartâ Cinerum, Angelus cineribus signavit; quæ quicquid in pauperes erogâras, in cœlo, in mensa vidisti ; sanctis gratias pro iis tibi agentibus : cui Angelus virgam fragrantem è cœlo attulit,sed illa odorem illum cælestem perdidit,utprimum à quodam contacta est: quæ in cælum deducta,ibi à Deipara audisti : *Pro his quæ nunc pateris, mirabilem & magnam gloriam consequeris* ; & simul serto ab illa ornata es ; quæ cælestibus deliciis aliquam,diu caruisti, in pœnam doloris de neptis tuæ, alias de fratris tui, morte concepti: quæ circa lectulos dormientium Religiosorum,stantes Angelos aliquando vidisti ; spiritu illic abrepta : cujus mortali agoni præsens cum MARIA JESUS adfuit, & ambiente morientis lectulum Angelorum, & Divorum Cælitum coronâ, post sanctissima colloquia, migrantem è lacero corpore animam tuam sanctam Custos tuus Angelus, & MARIA in suos

ſuos amplexus, & oſcula accepêre, æternitate donandam. Illi, quæſo, felices dolores, felices erga JESUM & MARIAM amores tui, ac preces, & teneræ lacrymæ, pro me, inter dolores mortis, de ſalute incerto, ac valdè trepido, intercedant; ut Jesu, MARIÆ, Angelorum, & Divorum omnium ope, felix abeam ad illam, quæ ſic amantibus præparata eſt, æternitatem. Amen.

Sancti Tiburti, & Valeriane S. Cæciliæ adhortatione; oſtenſo vobis Angelo, converſi, ideoque fuſtibus cæſi, gladio percuſſi.

S. Maxime, Præfecti cubicularie, horum exemplo, & Angelicâ viſione firmate; plumbatis verberate uſque ad mortem.

S. Procule Ep. M.

S. Domnina V. Martyr, cum ſociis Virginibus coronata.

S. Ardalio, repentè è mimo illuſore M.

S. Lamberte Epiſc.

S. Fronto, cui in eremum, cum ſeptuaginta ſociis, ſecedenti, annonam ab avaro divite Angelus curavit.

S. Abundi.

S. Thomai M. pro pudicitia, ab impuro, & mox obcæcato ſene ſocero, interfecta; ad cujus ſepulchrum ardens lampas, oleo ſuo impuros cujuſdam æſtus in perpetuum reſtrinxit; quæ aliis quoq; data eſt in præſentiſſimum, contra impura omnia, adjumentum.

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 229.

S. MARIA, *ad cujus imaginem hodierna* S. Liduina, *ad te ſalutandam, ab Angelo ducebatur. Ora,* *ut*

ut lubens obediam Angelo meo in omnibus, quæ mihi pro gloria tua suggesserit; sequar illum ducem ad te!

15. *Aprilis.* 17. *Kal. Maji.*

SAncte Eutychi Ep. M. qui Redempto Episcopo penes tumbam tuam in lecto vigili visus, ter inclamasti: *Venit finis universæ carnis!* die sequenti visæ in cælo igneæ acies, hostium indices, qui posteà immani clade omnia miscuerunt. Certè mihi, quando in ultimo lecto propè à tumba abero, finis veniet universæ carnis; sed ut benè veniat, etiam te invoco unà cum iis omnibus, quibus, felici morte feliciter venit finis universæ carnis. Hunc finem ut in omnibus prudenter respiciam, doce me, & effice, ut sit felix ille meus finis: ita enim felix mihi erit æternitas, cujus non veniet unquam finis Amen.

Sanctæ Basilissa, & Anastasia, Apostolorum discipulæ, linguâ, pedibusque præcisis, gladio percussæ.

Sancti Maro, Eutyches, victorine variis pœnis interempti.

s. Casilda V. regia, quæ cùm captivis Christianis cibos ferres, illos Rex pater tuus vidit in rosas esse conversos.

Sancti Maxime, & Olympiades, qui fustibus cæsi, divitias vestras Christum esse dicebatis, mundari vos fustibus, & plumbatis: ac tandem capita fustibus contusi, expirâstis: cadavera verò canibus in prædam abjecta, ab illis custodita sunt.

s. Crescens Martyr per ignem.

Sancti Theodore, & Pausilippe, MM.

OM-

OMNES SANCTI, &c. pag. 229.

S. MARIA, à qua demissam super clientes tuos è cælo coronam, tuum, & tuorum clientum nomina continentem, vidit Christina *Virgo, hodie defuncta: habe curam mei nominis, ut illud benè præparem ad coronam.*

S.MARIA *quæ hodierno* Petro*, tuo clienti, mortem, centum quinquaginta diebus antè prædixisti, quos ille summa in asperitate duxit: eidemque, cùm os aperire pro sumendo viatico non posset, tu linguam tuis manibus tetigisti, eique sensum restituisti. Tange linguam meam, & cor meum; ut Filium tuum, cùm semper, tùm verò in extremo vitæ, ita, ut decet, recipiam!*

16. *Aprilis. 16. Kal. Maji.*

BEate Joachime, qui ardentissimâ Dei, & proximi charitate accensus, horrendũ epilepsiæ morbum à quodam epileptico in te transferri impetrasti, epilepticorum omnium patronus; cujus caput in choro visum est cælesti splendore accensum; qui absumi à vermibus, ut plus patereris, periisti; & ipso Christi morientis die, ad illa Passionis lecta verba: *Inclinato capite tradidit spiritum*; spiritum tuum spiritui Jesu comitem addidisti. Ora pro me, ut eâ erga omnes charitate sim, quam à me postulat charissimus Deus meus. Sicut enim qui non diligit, manet in morte: ita is nunquam mala morte finietur, qui libenter opera charitatis exercuit. Ora ergo, ut illa libenter exerceam, & sic me vivum possideat charitas, & sanctæ morti me paret charitas,

ritas, Deo Judici, qui charitas est, me sistat charitas, Amen.

Sancti Calliste, & Charisi, aliique septem MM. mari mersi.

Sancti Optate, Luperce, Successe, Martialis. Urbane, Julia, Quinctiliane. Publi; Fronto, Felix, Cæciliane Eventi, Primitive, Apodemi, & alii quatuor socii MM.

S. Encratis Virgo Martyr, quæ laniato corpore, lacerato pectore, avulso jecore adhuc superstes, in carcere inclusa es, donec ulceratum corpus putresceret.

Sancti Cai, & Crementi, MM.

S. Lamberte M. qui abscissum tuum caput ad aliorum MM. sepulchra ferens, dixisti: *Exultabunt Sancti in gloriâ*, & illi tibi responderunt *Lætabuntur in cubilibus suis.*

S. Turibi Episc. miraculis, & hæresi profligatâ clare.

S. Fructuose Episc.

S. Drogo Conf.

S. Paterne Episc. coram quo impudens mulier divinitus in corpore horrendè punita est: qui miraculis, visisq; cælestibus magnus, dæmones tuo adventu fugâsti; cæcos, mutos curasti; oratione & baculo, è terra sicca fontem elicuisti; Sanctos Melanium, Lucianum, & Beorem Episcopos, vita jam functos, coram spectasti; tandem eadem cum Scubilione, fratre tuo, horâ Deo animam reddidisti.

Beate Gulielme, impudicæ fœminæ gloriose victor, at, specie illius animo assiduè obversante, propemodùm victe, nisi te in eremo retinuisset Deus, ostensis

ostensis belluis, variè tibi minantibus, posteà etiam æthiopes dæmones, at ligatos, te ad sæculum invitantes, vidisti, oratione, atque Cruce vicisti, demum te Angeli recreârunt, gemmis mirisque stolis illustres, ora pro me, ut benè orem ac vincam.

OMNES SANCTI. &c. *pag. 229.*

S. MARIA, *quæ hodiernum* B. Joachimum Senensem, *ut se tuis servis adjungeret, monuisti. Fac, ut sim servus tuus fidelis, & prudens, ac tibi usquequaque obediens!*

S. *MARIA, quæ orante hodierno tuo* B. Guilielmo *regiò in cultu, cœlesti Majestate admirabilis, apparuisti, & ut sacram tibi Ædem extrueret, imperâsti. Sis tu Regina cordis mei: fac, ut sim templum sanctum tuum!*

17. *Aprilis.* 15. *Kal. Maji.*

SAncte Helene, qui cibos tibi, post jejunia ministratos à dæmone, cùm respueres, Angelos ciborum & mensæ ministros habuisti: qui in fidei Catholicæ testimonium, ignem illæsus calcasti, & immissum discipulo tuo, ab Angelo satanæ, impurum turpium cogitationum ignem, vexato immundo spiritu, extinxisti, Attende & mihi, & nunc, & in posterum, ne quâ me arte, vel dæmon, vel homo, à dæmone ad id substitutus, inescare possit, & morti æternæ addicere. Dæmonis esca est, quicquid peccatum est. O jejunem ego! Nolo dæmon in me jus ullum habeat; sed post sancta hic jejunia, ad æternas epulas me Angeli sancti à morte abducant. Amen.

S. Ani-

S. Anicete Papa M.

S. Mappalice M. agone felicissimo coronate unà cum sociis.

Sancti Fortunate, & Marciane, MM.

Sancti Petre, & Hermogenes, MM.

Sancti Elia, Paule, & Isidore, MM.

Sancti Panthagathe, & Innocenti, Episcopi.

S. Stephane Abba, qui regulas à te conditas, *chartam charitatis* appellasti: quem, cum tuis Religiosis laborantem, Dei Mater in agro, videntibus id omnibus, candidissimâ zona cinxit; postea oranti, tempus mortis feliciter obeundæ, ac æternitatis beatæ adeundæ, prædixit. Doce me bene legere *chartam charitatis*, mihi à Deo, Deique vices gerentibus, præscriptam; doce colere, ac amare Matrem Dei; ac ita laborare, ut sim dignus, qui in sinu Matris gloriæ requiescam, ascendens ad populum accinctum nostrum.

S. Vasi, nobilis adolescens, qui te servis, & opibus, pro Christo abdicâsti, auditis illis in templo: *Nolite diligere mundum; neque ea, quæ in mundo sunt: quoniam qui diligit mundum, non est charitas* Patris *in eo.*

S. Landrice Ep. Sanctorum Vincentii, & Waldetrudis Comitum, fili.

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 229.

S. MARIA, *quæ hodie in Sanctorum album relato, Sancto tuo* Hyacintho, *in statua locuta efferri ab illo voluisti, & ille alterâ manu sacram Eucharistiam, altera statuam tuam, inimicorum furori eripuit. Ora pro me, ut amem Filium tuum & te; portem te; nihil laboris recusem pro te, in prosperis, & adversis!*

S. MA-

S. MARIA *Budriensis, ad cujus imaginem supplex monialis, in pede altero à pestifero ulcere repentè libera, sine fulcris sana discessit. Perfice gressus meos in itineribus æternitatis ejus, ad quam deducis verè amantes te!*

18. *April.* 14. *Kal. Maji.*

S. Ursmare Ep. qui panc novum annis abstinuisti; morbos, lemures, dæmones orando expulisti, paratus quotidie animas cælo, etiam sanguine, emere; qui denique per admirabilem patientiam, Jobum imitatus, possedisti animam tuam, eamque in cœlum expirâsti: qui tunc necdum natus, matri gravidæ, per scalas cœlos ascendens, divinitùs es ostensus; & illa, candidissimo pane, à sene de cælo veniente, donata, jussa est te illo pane nutrire in fame, quæ tunc passim grassabatur. Doce me cælesti pane sanctè vesci. O ascendam utinam & ego moriens! Hoc est, quod te obsecro, ut pro me efficias, ut sit mihi mors mea, pretiosa in cælum scala, non præcipitium ad infernum. Amen.

B. Apolloni senator, à servo prodite, securi percusse, M.

S. Eleutheri Episc. qui ænei, & copioso igne candentis, grabati tormentum nil sensisti, divinâ voluptate perfusus; oleo deinde ferventi infuso, & in sartagine, pice ac adipe bulliente coctus, & semper integer, in carcere à columba pastus, etiam à feris honoratus, conversis hostium pluribus, unà cum exultante Anthiâ, matre tuâ, jugulatus es.

S. Corebe Præfecte, Eleutherii constantiâ converse, gladio percusse.

S. Ca-

S. Calocere M. à Sanctis Faustino, & Jovitâ converse.

s. Perfecte, quòd in Mahumeti sectam invehereris, perempte Martyr.

s. Galdine Ep. post concionem extincte.

OMNES SANCTI. &c. *pag.* 229.

S. *MARIA, quæ unà cum S. Ioanne Evangelistâ, hodie in Beatorum catalogum inscripto* B. Petro de Alcantara, *in morte apparuisti, & illum de beatitudine proximâ certiorem fecisti. Solare optimo quo scis, modo tunc me, Domina, quando tuo solatio maximè indigebo!*

S. MARIA, à miraculis, *quæ à tuis Syracusanis hodie coleris, ob quendam qui peste ictus, coram te supplex, illicò sanitati est restitutus; pluribus posteà per te à contagione liberatis, adeò, ut mirifica tua beneficentia tibi* à miraculis *nomen indiderit. Per omnia tua miracula te rogo, Mater admirabilis; libera me à peste peccati. Fac me sanctum, & ego tibi pro hoc miraculo, pro munere cor appendo!*

19. *Aprilis.* 13. *Kal. Maji.*

SAncte Wernere, qui triduo à Judæis excruciatus & ad Christi Crucifixi exemplum crucifixus, è Cruce ad paradisum abiisti: circa cujus innocens ver, accensis multis facibus, parentavit cælum. ga pro me crucifixum JESUM, crucifixe Martyr, ut ponat Crucem suam, mortem suam, inter mortem meam, & tribunal suum; & quod mihi deest ad lucrum felicis æternitatis, illud de tuo, ac suo sanguine suppleat; ut per illius Crucem, velut per scalas, felix ascendam. Amen.

S. Timon Diacone, à flammis illæse, & crucifixe.

Sancti Hermogenes, Cai, Expedite, Aristonice, Rufe, & Galata MM.

S. Vincenti M.

S. Paphnuti M.

Sancti Socrates & Dionysi lanceis confossi.

S. Elphege Archiep. quem s. Andreas Apostolus, s. Dunstano spectabilis, Episcopum fieri jussit; quem multa passum, apparens s. Angelus, ad accipiendam cœlestem coronam, invitavit; qui ab immensa Sanctorum multitudine visitatus, eorum cantu recreatus, à plagis pro Christo perpessis curatus, altero die securibus, & lapidibus obrutus es, postquam à s. Dunstano, cum Sanctorum choris, tibi præsente, audisti: *En, quorum collegio, post mortem carnis, inperpetuum frueris, cives Ierusalem cœlestis ac domestici Dei; si ea, quæ desunt, passionum Christi amore, in carne tua patienter suppleveris. Vnus dies ad supplicium, sed sempiternus erit ad præmium.* Impetra mihi vivum desiderium videndi Dei, & quicquid me illuc potest viâ certiore deducere.

s. Georgi Episc. ob cultum sacrarum imaginum exul.

s. Crescenti.

s. Ursmare Ep. in dæmones potentissime; qui moribundam signo Crucis sanâsti,

s. Bruno, seu, s. Leo Papa none, qui olim è bufonis morsu, morti jam proximus, S. Benedictum, per scalam è cœlo descendentem, vidisti, ab eo persanatus; cui in sphæra illustri, totius mundi machina,

china & in illa, S. Maria Magdalena ostensa est: cui ægro S. Blasius apparuit, tua præcordia visus aperire, atque eluere, teque sanavit: qui leprosum in tuo lectulo collocâsti, & posteà illum Christum fuisse è recta istic odorum fragrantia, didicisti.

S. Theodore, craticulam, picem, sulphur perpesse pro Christo; quadrigis raptate, in flammas abjecte, crucifixe.

OMNES SANCTI. &c. *pag.* 229.

S. MARIA, *cujus imagini appensæ superbæ Saracenorum literæ, hodie præclaram de illis, ope tua, victoriam attulêre. Doce cor, oculos, manus meas ad prælium; da mihi virtutem contra hostes tuos!*

20. *April.* 12. *Kal. Maji.*

BEata Agnes Politiana Virgo, cui nascenti luce plurimâ affulsit cœlum; quam dæmones, sub corvorum specie, rostris, & unguibus lacerare contendebant; cui oranti, quindecim annis, in pane & aqua, jejunanti, Beatissima Virgo dona cœlestia, JESUS parvulus Crucem, Angelus Eucharistiam dedit: cui morienti Angeli comites adfuêre: quam mortuam infantes è cunis sermone, & cantu laudavêre. Exere, sancta Virgo, exere etiam in me calidissimarum tuarum precum vim; & impetra mihi MARIA hic semper amicum JESUM in cor! ut sim JESU totus, MARIÆ totus, in tempore, & in æternitate, Amen.

Sancti Sulpici, & Serviliane, sponsi; decollati Martyres.

Sancti Victor, Zotice, Zeno, Acyndine, Cæsari, Severia-

Severiane, Chrysophore, Theona, & Antonine Martyres.

S. Theotime Episc.

S. Theodore miles M. qui admirabilibus tormentis divinitus superstes, visus es veniente de cœlo curru igneo liberatus: qui matrem tuam, triennio exulem, ab Angelo ad te adductam, vidisti, & sociis Christianis ostendisti; & tu vitam cruce, mater tua Philippa gladio, socii lanceis, finiistis.

S. Marcelline Episc. qui, Dei monitu, cum sanctis sociis, Vincentio, & Domnino, ex Africa veniens, plurimos convertisti.

S. Marciane Presb. de cujus manu silvestres etiam aves cibum capiebant familiariter.

S. Theodore Confessor, cilicio semper use, dæmonum potens hostis: è cujus corpore, pro medicina ægrorum, unguentum scaturiit.

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 229.

S. MARIA, *quæ hodierna tua* Agneti Politianæ, *cælesti luce perfusa, Filium tuum parvulum in sinum dedisti. Doce me Filium tuum in Eucharistia, sic tractare, sic amare; ut illa, & illi, qui te verè amant, qui illum verè adorant.*

21. *April.* 11. *Kal. Maji.*

SAncte Anselme Episc. cui mundum, velut immundissimam fœdæ paludis colluviem, & cælum, instar amœnissimè splendidi palatii, ostendit Deus: qui tum adhuc puer, visus tibi es in cœlo, ad pedes Dei, candidissimum panem comedere: quem orantem ingens splendentis flammæ globus circumde-

cumdedit, Inflamma me? ut benè vescar orationis pane. Ora, ne me immunda hæc palus mergat abysso inferni. Erit, quando ex hac palude liberabor tandem: felix; si feliciter; Ora quæso, ne, vel inter navigandum in hac palude, vel in portu, naufragium patiar felicis æternitatis; verùm ad illud Regis Dei palatium, in aula æternitatis, perveniam, Amen.

S. Simeon Episc. cum Abedechala, Anania, Pusicio, & centum aliis Martyribus, gloriose hortator, & Martyr.

S. Wolbodo Episc. qui totum psalterium, cum aliis precibus, quotidie, ante sacrificium recitabas; qui S. Laurentio piè addictus, illum vidisti, & ab illo tuæ mortis tempus dedisti: qui adstantem tibi in morte dæmonem, aquâ benedictâ, & verbis divinæ spei plenis, abegisti; post mortem quoque visus aræ S. Laurentii, assistere, tanquam sacrificans.

Sancti Arator Presb. Fortunate, Felix, Sylvi, & Vitalis, qui in carcere requievistis.

Ss. Apollo, Isaci, & Crotates, Martyres.

S. *MARIA, quæ* S. Anselmum, *excellentiæ tuæ Scriptorem in profundam cisternam noctu prolapsum, teque invocantem, illæsum servâsti. Ora, ut gratulor excellentiæ tuæ. Serva me ab omni tenebrarum prolapsione illæsum!*

S. *MARIA, quæ* Henricum *tuum novitium, ad preces ægrè surgentem; eoque tentatum, tuo aspectu solata, & veste velut percutiens, suavissimâ quiete tranquillasti, ut deinceps, ad orandum, facillimè li-*

bantissimeque surrexerit. Tolle Domina, tolle à me quicquid me impedit, ne benè orem!

22. *April.* 10. *Kal. Maji.*

SAncte Theodore Episc, quem utero gerens mater, vidit stellam è cœlo in sinum suum descendere: quem sexennem vestibus pretiosis pro aula instruenti matri tuæ S. Gregorius apparuit, & dixit: *Quodnam, mulier, de puero consilium cepisti? Ne frustra laborem suscipias. Rex enim, qui in cœlis, est, ipsum sibi requirit;* quem ægrum decidentes ex imagine Crucifixi duæ roris guttæ sanarunt: quem, ad orandum excitatum, ad suum templum deduxit manè S. Gregorius; idemque te contra dæmones, & contra fœminas, te à templo prohibentes, ense stricto iis minatus, defendit; cui duodecim annos nato, Rex JESUS visus dixit; *Strenuè pugna, Theodore, ut perfectam in cælesti militia mercedem accipias;* & tunc admirabili silendi desiderio exarsisti; cui à dæmone, sub amici specie latentis, tentato, S. Gregorius manum apprehendit, & dixit: *Veni, sequere me; & ne audias tentatorem illum, qui animam tuam quærit: neque enim amicus tuus est, sed nostri generis iinmicus,* qui calicem, è mulieris impudicæ argento confectum, non admisisti; & ille, te orante, totus atro colore teter apparuit: qui Christum in templo, & MARIAM præsentem aspexisti: quem MARIA Virgo semper, ne ullum tibi venenum noceret, protexit. Exora mihi hanc à Deo gratiā, ut nihil me à piis, nihil à Deo avocet; ne me ulla

ulla creatura venenatis illectamentis à Deo abstrahat. Pietas, ad omnia quidem, sed ad mortem sanctè obeundam, vel maximè utilis est. Pius volo vivere, pius mori. *A*mem omnia, æstimem omnia, quæ æterni sunt momenti. Ne ullum mihi peccati venenum auferat vitam æternam, per mortem æternam. Amen.

Ss. Soter, & Cai. Papæ, M*M*.

Sancti Apelles, & Luci.

Sancti Azades, Milles Episcope, Jacobe, Aithasa, Joseph, & alii plus quàm ducenti quinquaginta Episcopi, Presbyteri, Clerici, Virgines aliique innumeri Martyres, immanibus, ac diuturnis cruciatibus laniati.

s. Tarbula, Sancti Simeonis soror, quæ cum tua pedissequâ, stipitibus alligata, serià scissa es.

Ss. Parmeni, Helimena, Chrysotele, Luca, & Muci, MM.

s. Leonides Martyr.

s. Epipodi, post dira tormenta, gladio percusse.

Ss. Leo & Theodore. Episc.

s. Wolphelme Abba, qui aliquando visus es Christum in balneo abluere, præsentibus Apostolis; ac id officii postea pauperi cuidam ægro præstitisti, & eum persanâsti: cui, uno ante mortem anno, domûs fragrantis & ornatissimæ instar, ostensâ cæli gloriâ, Angelus dixit: *Hunc locum quanto studiosiùs ac venustiùs exornaveris, tantò jucundiùs ac feliciùs illo fruêris*, & extremo illo vitæ anno, ad virtutem admirabiliter volâsti, corde adeò inflammatus, ut etiam, si nolles de Deo loqui silere non posses: qui post mortẽ, mare ab hostibus

fore ſecurum, ex vero prædixiſti, & pſalmos ter ternos recitari juſſiſti, in honorem SSs. Trinitatis. Doce me, ut ſanè colam SSs. Trinitatem; ut omnia faciam accuratè, ut Chriſto ſerviam in omnibus.

S. Opportuna Virgo, quam cœnobium ingredientem, coruſcus Angelus eſt comitatus, quæ ciliciis, jejuniiſque carnem macerans, ajebas, in paradiſum per jejunia nos reverti debere; quia indè per gulam excidimus; cui ægræ Sanctæ Cæcilia, & Lucia, è cœlo adfuêre; adfuit & pice liquidâ fluente, ac igne horrido fœdiſſimus dæmon; ſed victus eſt; quæ tandem ſumpto, pro viatico, Jesu corpore, in occurrentis tibi Mariæ amplexus dum brachia exporrigeres, morte dulciſſima expiraſti!

Omnes Sancti, &c. *pag. 229.*

S. Maria, *à qua adventum* S. Opportunæ *hodie morientis, exſpectari dixerunt SS. Cæcilia, & Lucia Expecta... me; ſuſcipe me, & non confundas me ab exſpectatione mea!*

23. *Aprilis.* 9. *Kal. Maji.*

SAncte Georgi, tribune militum, & poſteà Comitis titulo exornate; qui cùm à Chriſto nolles deſciſcere, iis, quæ habebas, omnib⁹, priùs in pauperes diſperſis, ſupino pectore, ſaxum ingens, & horridam cultus machinam, fortiter perpeſſus, ſed à ſplendidiſſimo, tibi adſtante, Angelo ſanatus es pretoribus duobus, & Alexandra Imperatrice, converſis; qui in calce incolumis, in ferreis candentibuſque igne crepidis cucurriſti lætus, & dicens; *Curre, Georgi, ut apprehendas; ſic enim curris, ut*

non

non incassum. Mira deinde passus, & faciens, à Christo, tibi apparente, ac dicente: *Ecce jam dignus factus es, qui mecum regnes!* amplexu recreatus, & coronatus es; ac tandem caput Christo per gladium dedisti: qui Hispanis, contra infideles, auxiliarius in acie conspectus es, & author duxque magnæ victoriæ; qui muris Molshemiensibus obequitare custos visus es, conspectâ eosdem custodire Dei Matre, mœnia eadem filo circumducto cingente, ac limitem ponente, intra quem hostis se inferre non posset. Fortissime Martyr, toto corpore dolorum victima. Ora pro pigro hoc, & ad dura, pro æternitate, sustinenda delicato nimis, & parco meo corpore. Patiatur nunc; ne patiatur æternum: currat, qua anima, quo Deus vult; ut cœlum, non infernum, comprehendat, ac in morte à Christo coronetur. Amen.

S. Adalberte Archiepisc. Ungarorum, Bohemorum, & Prussiæ Apostole, lapidate, ac septem lanceis confosse; qui te ad viam salutis permotum dicebas, quòd vidisses Ditmarum quendam Episcopum desperanter morientem, cùm diceret; se à nigris spiritibus ad chaos tartareum deportari: qui futuri tui martyrii imaginem, in somno, in specie lectuli floridi atque pretiosè purpurei, conspexisti. Ora pro regnis, pro quibus laborasti; & fac, ut quicquid ago, aut laboro, sit mihi via ad lectulum quietis æternæ.

S. Felix, & socii MM. S. Felix, qui per quietem vidisti locum splendidum, floribus vernantem, & aromatibus redolentem; in eoque tabernacula, auro & stellatis gemmis insignia, in quibus quinque

nivei agni liliis pascebantur, te ac sociis tuis eo symbolo indicatis. S. Ferreole, qui, sub idem tempus, quinque coronas vidisti, auro gemmisque pretiosas, tibi, ac Felici, Ferrutioni, Fortunato, & Achilleo, sociis tuis Martyribus, destinatas, & omnes, post varios rotatum, fumi, equulei, & cruruum contractorum cruciatus, capite plexi estis. Docete & me cœlestibus liliis vesci, non siliquis, quas mundus obtrudit porcis suis. Præparate me per generosam patientiam ad coronas.

Ss. *Marole*, & Gerarde, Episc.

S. Georgi Episc. qui Georgii nomen ab Angelo, nativitatis, ac sanctitatis tuæ vate, accepisti: qui [illegible]c, in infantia quartis, & sextis feriis, non nisi se[illegible]dque post solis occasum, suxisti; oratione de[illegible]e ac miraculis singularis.

B. Ægidi, sancte Francisci sancte fili, qui vel ad ipsum paradisi nomen extra te rapiebaris; qui cùm è S. *Bonaventura* quæreres? quid facere possint indocti, quod Deo placeat? ille respondit: *Si* Deus homini nullum aliud beneficium præstitisset, nisi hoc unicum, quòd amari posset Deus ab homine; hoc unum futurum fuisse abundè sufficiens, ad hominem, ad maxima quæque Deo exhibenda obsequia, obligandum, plus quàm reliqua omnia beneficia eum ad id obstringerent. Et cùm adderet; posse quamlibet simplicem animam, sine ulla literarum peritia, non minùs, quàm eminentissimum quemlibet Theologum, divino amore ardere; in sancto illo colloquio adeò es accensus, ut simplicibus illiteratorum animabus, ad amandum Deum, voce ardentissima invita-

invitatis, toto trium horarum spatio, absque ullo sensuum usu, immotus, & arcanis divini amoris liciis absorptus, tacueris, qui MARIÆ amantissimus, æternam illius virginitatem, tribus è terra repentè enascentibus liliis, demonstrasti: qui, post mortem, cum magno animarum ab igne purgatorio absolutarum agmine, cœlum ingressus es,

OMNES SANCTI. &c. *pag. 229.*

S. *MARIA, quæ hodiernum S.* Adalbertum *à morbo curasti, cùm tibi à matre fuisset commendatus. Sana me, Domina; quoniam infirmus sum. O bona Mater commenda me Filio tuo, ut saner!*

S. *MARIA* à Viridario, *cujus templum vastare volentibus piratis, ex imagine tua, per olea arborem, splendidum jubar emicuit, barbarosque fugavit, quam eandem imaginem vidêre fideles, hoc XXIII. Aprilis die sanguineo sudore respersam. Tibi, ac per te Deo meo, consecro sanguinem, & sudorem meum. Tu mihi lucem à fonte lucis implora, quâ fuges, quicquid sancta paci animæ meæ infestum est!*

24 *Aprilis.* 8. *Kal. Maji.*

SAncta Bona Virgo, cui septenni Christus magister fuit, quomodò te ad somnum deberes componere, ac uti cilicio; quam idem, post quadraginta dierum jejunium, annulo aureo donavit; cui, ad sepulchrum suum oranti, Christus manu impositâ benedixit, & quæ in ipso amaro aliàs, tibi tamen dulci, desideratæ mortis agone, risum inter & cantum Christo Sponso spiritum tradidisti. O impetra risu tuo, & cantu, ac precibus, terrores, sudores

amaritudines mortis meæ! Impetra,ut bona,felici, sanctâ industriâ me parem ad bonam, felicem,sanctam mortem! Amen.

S. Saba,Dux militum, qui,ob visitatosMartyres, & fidem, facibus adustus,è lebete picis ardentis illæsus exivisti, deinde flumine submersus.

Sancti septuaginta Martyres, s. Sabæ exemplo conversi, gladio cæsi.

s. Alexander, qui toto corpore adeò laceratus es, ut solutis costis intima corporis, & viscerum panderentur; & postea Crucis acceptâ sententiâ, felicem animam exhalasti.

Sancti triginta quatuor socii Alexandri, Martyres.

Sancti Eusebi, Neon, Leonti, Longine, & alii quatuor, post diros cruciatus gladio percussi.

s. Mellite Episc. Apostolice.

Ss. Gregori, & Honori, Episc.

s. Egberte Presb. humillime.

S. Doda Virgo.

s. Roberte Abba, egenorum, & ægrorum amantissime, animarum sitientissime, contra dæmonem fortissime.

OMNES SANCTI,&c. *pag.* 229.

S. MARIA, quæ una cum Jesu *hodiernæ tuæ* Bonæ, *ad S. Iacobi sepulchrum oranti, apparuisti. Doce me ita orare, ita Sanctos colere; ut illi me præparent ad videndum Filium tuum,& te, in æternum!*

25. *Aprilis.* 7. *Kal Maji.*

SAncte Marce Evangelista; cui inter sacrificandum capto; ipsa Paschatis nocte, apparens in carcere Angelus, nomen tuum, in cœlestis vitæ libro consignatum, ostendit, ac dixit; *Serve Dei Marce; en, scriptum est nomen tuum in libro vitæ cœlestis: & memoria tua non delebitur in æternum, Archangeli spiritum tuum in cœlos suscipient*, cui ideo exultanti, gratiasque agenti, Christus, *Pax tibi Marce!* dixit; quam pacem, altero die laqueo tractus, & præfocatus, reperisti; nunc Venetorum, omniumque te invocantium, protector. Exora mihi pacem illam à Jesu, pacem cordis, pacem vitæ, mortis, æternitatis; ut in albo Beatorum inscriptus, felici morte in pace in idipsum dormiam, & requiescam æternùm, Amen.

Omnes sancti, & sanctæ Dei, & tota triumphans Ecclesia, quam hodie militans Ecclesia invocat Litaniis.

Sancti Evodi, Hermogenes, & Calliste, Martyres.

S. Stephane Episc. in Orontem fluvium præcipitate.

Ss. Philo, & Agathope, MM.

s. Amiane Episcope, s. Marci discipule, ac successor.

s. Ludovice Rex, cujus Parisiense sacellum, anno 1248 hoc die dedicatum est; quod ædificasti honori spineæ Christi coronæ, quam tibi Constantinopoli afferri curaveras. Impetra mihi à Jesu, spinis

ſpinis coronato; ut coronet me in miſericordiâ, & miſerationibus.

s. Ermine Epiſcope.

s. Gertrudis, quæ hoc die, vidiſti Chriſtum ſpeculis, (id eſt, Sanctis) undequaque ornatum, & quando Sanctorum Litaniæ recitabantur, conſpexiſti Sanctos ſingulos, pro iis, à quibus implorabantur, ſupplices coram Deo, & orantium nomina *literis aureis* ſcripta geſtantes; cùm indiligenter cum tepore orantium nomina eſſent non aurea; ſed in tenebris obſcura. Impetra mihi, unà cum omnibus Sanctis, (maximè autem iis, quorum aurea fuit, id eſt divino amore pretioſa oratio) ut oratio mea nomen meum non condat in tenebroſâ caligine, ſed ignito amoris auro feliciſſimæ Sanctorum æternitati inſcribat.

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 229.

S. MARIA, *ex quà naſcentis Filii Dei nativitas hodie apud Æthiopes celebratur: ora, ut cor meum vivat in* Jesu, *ac viciſſim in corde meo naſcatur, adoleſcat, delectetur nunquam moriatur* Jesus.

S. MARIA, *cui,* Regina cæli lætare, *canens Angeli, hodie, à* S. Gregorio, *Romæ, in Litaniis majoribus, ſunt auditi* O *utinam lateris etiam in me, ac de me, in æternum ut æternùm in cœlo ſim apud te, cum filiis tuis, quorum,* ſicut lætantium, omnium habitatio eſt in te!

26. *Aprilis.* 6. *Kal. Maji.*

SAncte Baſilee Ep. M. cui Chriſtus in carcere glorioſam mortem prædixit; cujus pro Chriſto decol-

collati corpus in aquis monstravit Angelus; animam verò, in cœlo, gloriâ coronatam, ostendit, qui amico tuo, in domo pellucida sede, ostensus es; & caput tuum, reliquo corpori conjunctum, divinitus est repertum. Utinam ibidem, ubi tu sedes, sit locus animæ meæ, hinc migraturæ! Erit autem, si oratore pro me, apud JESUM, Angelo tuo, clamante pro me sanguine tuo, felici morte migrare ex hoc corpore faciat animam meam Deus JESUS, Amen.

S. Clete Papa M.

S. Marcelline Papa, cum Claudio, Cyrino, & Antonino, capite truncate.

O vos septendecim millia Martyrum, uno mense martyrio coronata!

S. Petre M. Episc.

Ss. Clarenti, & Lucidi, Ep.

S. Richari Presb. piis colloquiis converse, in corpus severe, in pauperes, in captivos liberalissime: qui post mortem, in aula splendida inambulare visus, & de illa, pro brevibus laboribus, datâ tibi gloriâ gratulari, & Jesu gratias agere, auditus est.

S. Exuberantia Virgo.

OMNES SANCTI, &c. *pag. 229.*

S. MARIA, quam sive ambularet, sive quiesceret, frequenter, atq; ardenter salutatione Angelicâ salutabat pius Coloniensis civis; *& hoc die post mortem apparuit in veste salutationibus Angelicis undequaq; ornatâ. Hæc erunt ornamenta mea in æternitate, quæ nunc tibi præsto obsequia. Fac, ut ea tibi mundo, hilari, liberali corde exhibeam!*

S. MARIA, cujus imago Romæ in montibus, hodie in fæ-

fœnili reperta, multis admirandis inclaruit. Sim & ego miraculum benignæ admirabilitatis tuæ: sim in templo gloriæ tabella votiva, & tessera grati animi Deo pro beneficiis ab illo per te in me profectis Triumphes in carne meâ, (quæ fœnum est) in gloriâ meâ, (quæ flos fœni est) triumphet gloria tua & mirabilis misericordia tua!

S. MARIA, *quæ hodiernæ* Aldobradescæ *tuæ oranti, te spectabilem præbens ei, id petenti, doloris tui gladium à Deo impetrasti. Doce me ex amore sancto sanctè pati, & mori!*

27. *Aprilis 5. Kal. Maji.*

SAncte *Anthime* Episc. qui plurimis ad Christum conversis, lapidibus percussus ferreis, & igne candentibus fibulis, talos transfixus, super acutas testulas volutatus, virgis cæsus, cœlesti voce invitabaris ad præmia æternitatis. Tùm rotæ alligatus, versatus ignitis lampadibus sensim exustus, post supplicia plura, & miracula, pluresque conversos, capite tandem plexus es exultans. Ora pro me illum pro quo hæc omnia passus es, JESUM; ut me à torpore excitet, acuatque ad ardenter pro Deo agendum & patiendum. Digna est his æternitas, digna Christi mors, dignus est Deus; ut in morte hoc mihi sit solatio, me in rebus Dei parcum fuisse nunquam, sed liberalem, ac ferventem semper. Ora denique, ut nec vivam nec moriar vitâ tepidorum, & morte, Amen.

Omnes sancti *Martyres* gladio, igne, aquâ, trucidati.

Ss. Ca-

Ss. Castor, & Stephane, MM.

B. Anastasi Papa, vir ditissimæ paupertatis, & Apostolicæ solicitudinis.

Ss. Tertulliane, & Theophile, Episc.

S. Joannes Abba, sacrarum imaginum sancte vindex.

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 129.

S. MARIA qua Tuteloni, *religioso pictori tuo. Metis tuam imaginem picturo, magistra & ministra assedisti colores ministrasti, juvisti, imaginem perfecisti; mirari id visis ipsis etiam Angelis, qui aderant, idq; spectabant. Pinge te in corde meo. Domina: ut sit mihi, tanquam in imagine, insculpta, & inscripta viva tuarum virtutum effigies!*

28. *Aprilis.* 4. *Kal. Maji.*

SAncta Sita Virgo ancilla, cujus elemosynas miraculis etiam laudavit Deus, cùm panis frustula in flores, aquam in vinum vertit; cui à templo reduci sub noctem, è cœlo descendens MARIA comes fuit, & pontis, ac Urbis portas pandit. O amem & ego pauperes; quia illos amari vult Deus! Adsit mihi, sub vitæ noctem, tuis precibus invitata, MARIA, ad portas mortis, sitque mihi ipsa, cum JESU, porta vitæ, Amen.

s. Vitalis miles sancti Gervasii, & Protasii Pater, qui Ursicinum medicum, ut Martyrium fortiter subiret hortatus, & ipse tentus, equuleo tortus in profunda fovea terra, & lapidibus obrutus, etiam post mortem dæmonem, ipso fatente, torsisti.

s. Valeria, s. Vitalis conjux, M.

s. Marce Episc.

s. Theodora, generosa Virgo, quæ mutatis cum Didymo vestibus, ut virgo maneres, è lupanari elapsa posteà, unàcum illo, martyrio es coronata.

Sancti Aphrodisi, Caralippe, Agapi, & Eusebi, Martyres.

s. Pollo Martyr Pannon.

Sancti Patrici Episc. Acati, Menander, & Polyæne, Martyres.

Ss. Prudenti, & Pamphile, Episc.

S. Paphnuti, ab Angelo custode, in fide Catholicâ edocte, & à tormentorum plagis curate, præmissis ante te, plus quàm centum, operâ tuâ conversis Martyribus, crucifixe.

s. Maxime M. qui in carcere, noctu, coram Ss. Dada & Quintiliano Martyribus, divinum librum legens, eosque instruens, mox obdormiscens, dæmonem armatum, & contra vos pugnantem (id quod & ipsi videre) vidisti; & exporrectis adfuit Angelus, dicens; *Nolite timere! Deus enim ille, cui vos ipsos tradidistis, vos sustentat, neq; à vobis longè abest*, deinde flagris, ac demum securi cæsi, obiistis. Docete me, ô Sancti mei, sancta sanctè legere, ac docere, docete spem fortissimam in Deo unicè collocare.

OMNES SANCTI. &c. *pag.* 229.

S. MARIA, *ad cujus Tungrense templum ædificandum hodie ultrò lapides, & arena divinitùs advecta sunt sine curribus sine equis, te istic omnia visa disponere. Fac me bonum servum tuum; ut impiger serviam tibi, ac templis, ac servis tuis!*

29. *Aprilis.* 3. *Kal. Maji.*

SAncte Petre martyr, qui à Beatissima Virgine audisti: *Ego rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua*: qui ab hæretico interfectus, ad B Virginis latus comes in cœlo visus es. Ora pro me Mariam, ut Jesum pro me roget, ne vel in vitâ, vel in morte meâ, ullo modo deficiat, sed valde proficiat, fides mea, spes mea, charitas mea; & ut illius lateri, post mortem, æternus comes, æternus cliens, in cœlo, adhæream, Amen.

S. Tyhice, S. Paulo Apostolo charissimus frater, minister fidelis, & conserve in Domino.

S. Agapi Episc. M. qui post mortem apparuisti lætus, & convivium cum iis celebrans, quos olim pro Christo socios carceris habuisti,

S. Secundine Episc. M.

S. Cucupha M. cujus reliquiæ hominem, qui ob iram, à dæmone obsessus fuerat, liberârunt.

Sancti Æmilane miles, Tertulla, & Antonia, sacræ virgines, & Tertia, felix cum tuis geminis mater, omnes Martyres.

Sancti septem Martyres, è latronibus à sancto Jasone conversi.

S. Pauline Episc.

S. Hugo Abbas, cujus operâ nugacis linguæ Episcopus quidam purgatorii tormentis exemptus est: cui dilecta semper MARIA Virgo, unà cum S. Petro, sub vitæ exitum, adfuit, dux viæ ad æternitatem: pro quo stratum in cœlo lectulum, ad quietem æternam, Fulgentius Abbas vidit: cui assidens

dens,& religiosi Ordinis leges tibi suggerens, Christus conspectus est: ad quem proficisci jussus est à S. Petro peregrinus, qui ad ejus sepulchrum Romæ viam edoceri optabat, quâ esset eundum ad Deum: qui nocte Christi nati, vidisti MARIAM, & infantem JESUM, qui dæmonem fugabat, ne pietatem orantium perturbaret. Juva me, cum JESU & MARIA, ut benè orem.

S. Catharina Senensis, hoc die mortua, quæ Patrem, & sororem tuam, è purgatorio liberâsti: cui, è cœlo, lilium ardens & incombustum, S. Dominici manu ostensum est: quæ, per triennium, cum nullo, nisi breviter cum Confessario, es locuta, quem tibi ipsa Beatissima Virgo dedit, eumque secundùm cor suum esse dixit; cui, post mortem visa, dixit, vitam æternam omnibus, pro quibus tu orares, esse promissam: quem tentantes obscenos dæmones fugavit Christus, & dixit, se in tuo corde fuisse, cùm tentareris: quæ divinum Officium, cum Christi, in cubiculo inambulans, recitâsti: & corde tuo inde ablato, ejus loco lucidum suum cor tibi dedit; aliàs quoque eductam, è lateris sui vulnere, vestem splendidam & purpuream tibi dedit, pro ea veste, quam pauperi donaveras: quam idē Christus, ob generosam quandam tui victoriam, laudavit, suique lateris Vulneri sugendo admovit. Sis, quæso magistra cordis mei; ut discat amare à tuo, & orare, & agere, & pati.

S. Huberte, cui S. Petrus Apostolus clavem auream dedit: cui ægro Angelus cecinit: *In tribulatione invocasti me, & liberavi te*; & ostensis tibi præparatis

ratis cœli mansionibus, te post annum iis potiturum dixit.

S. Roberte, necdum nate, & jam cœlo dilecte; qui post beatam etiam mortem, somnolentos increpuisti, & ad persolvendas ferventer Deo laudes excitâsti.

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 229.

S. MARIA, *quæ hodiernam tuam* S. Catharinam Senensem, *ob levem culpam, acerrimè reprehendisti; eandemque mirificè docuisti, solata es, ac etiam panes pinsentem spectabilis adjuvisti. Argue me: doce me accuratissimè cavere nævos etiam minimos, & quicquid ago, perfectè agere ope tua.*

30. *Aprilis. Prid. Kal. Maji.*

SAncte mi JESU! MARIA, Dei JESU Mater! gratias vobis pro donis, bonisque omnibus, in sanctissimam vestram, ac meam, Catharinam Senensem largè effusis! S. Catharina, quæ adhuc parvula, dum gradus scanderes, *Ave* MARIA! recitabas; quam nemo adiit, qui non melior abierit, quæ solá Eucharistiâ contenta, jejunium à die cinerum, usque ad JESU ascensionem produxisti; & dæmonum, malarum linguarum, tentationum fœdarum, morborum invictissima triumphatrix, Christo à MARIA desponsata, eodem auream, & spineam coronam, ut alterutram eligeres, offerente, electam spineam capiti sancto impressisti; & post sumptum panem Angelicum, in ecstasi, è radiantis Crucifixi Vulneribus quinque radios, ad quinque loca corporis tui, descendentes, accipieas, dolore magno, amore

amore magno languebas! qua pro quibusdam obstinatis orante, Christus illis apparuit, eosque convertit: quæ nobili cuidam scelerato, tunc adhuc viva, per quietem apparuisti, ac dixisti: *Si evadere vis damnationem æternam, quantocyùs confitere*: cui infans Jesus cum Cruce apparuit: cui, præ vehementissimo amoris æstu, cor disruptum est: quam virgineis suis uberibus admovit Dei Mater, atque lactavit; & mortuam posteà tribus coronis coronavit: quæ ajebas, eum, qui dulcissimam Dei Matrem cum reverentia coluerit, non devorandum à dracone inferni: quæ cor tuum in apertem Christi latus intrare, atque ibi cum Christi corde conflari, vidisti. Taceo aliàs illas tuas in corde tuo, in sancto illo Christi conclavi, cum corde, tibi à Maria desponsati, Jesu delicias. In morte certè hoc tuum solatium dæmoni objecisti; vanam gloriā te nūquam, veram semper Jesu gloriam quæsivisse. Jam illam invenisti, jam in illa es! Dilecta cordi Jesu Virgo! impossibile est, ut impetrare id non possis, si valdè velis, à tuo Jesu à tua Maria, ut ego, clientum tuorum ultimus, infimusque, ac indignissimus, ita Jesum, in Mariæ sinu, in Cruce, in pane vitæ, præsentem amem; ita cor illi dem totum, in conclave, in æternam illius gloriæ victimam, ut in Jesu Crucifixi, & *MARIÆ*, complexu, puram animā in cœlo coronandam, expirem, beatus tecum semper. Perfice, ut id tunc experiar! Amen.

Sancte Martine, & Jacobe, Martyres, qui ad solium, ad cœleste convivium, amœno spectaculo, invitati estis voce illâ: *Gaudete, & exultate; cras enim nobiscum & ipsi cœnabitis.*

S. Eutro-

s. Eutropi Episc. colliso pro Christo capite Martyr.

Ss. Amator, Petre & Ludovice, MM.

s. Laurenti, unà cum parvulis, quos educabas, Martyr,

s. Alphrodisi, & alii triginta MM.

s. Maxime Martyr, qui tentanti te tyranno ajebas: *Animam meam lucrabor. Meipsum offero sacrificium Deo meo vivo & vero. In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum:* & tum ex alto præceps dejectus, devota Deo altissimo victima cecidisti.

s. Sophia V. & Martyr.

s. Severe Episc. qui ut viduæ, ac pupillorum caussæ succurreres, mortuum testem suscitasti; & ante mortem viso mirabili divinitùs recreatus, psalmos voce pronuntiâsti, dicens; *Levavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi. Ad te levavi oculos meos qui habitas in cœlis!* tandem concusso per terræ motum conclavi, ad eum, *qui habitat in cœlis, abiisti.*

S. Erconwalde Episc.

s. Joannes, à Saracenis, ob Christi fidem, carceribus, & verberibus cruciate, in asello per vias publicas ducte, clamante præcone: *Hac mirebitur exprobrator vatis nostri, cultusq; irrisor;* ubique Confessor fortissime.

s. Donate Episc. qui, dracone interfecto, fontem, quem ille veneno infecerat, salutariter expiasti; Imperatoris filiam à dæmone liberâsti; & hominem à morte, ut creditori suo satisfaceret, excitâsti.

B. Fran-

B. Francisce Senensis, qui MARIAM, tuam, etiam contra calumniatores, advocatam, quingenties quotidiè salutâsti: nec priùs, quàm te in libro vitæ scriptum legisti, oculos morte clausisti.

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 229.

S. *MARIA, cui hodiernus tuus* Franciscus Senensis *gratias agebat, quòd repente surdus factus esset; ne cum aliis fœminis potissimùm, conversari posset. Guberna sensus meos; & omnem illorum usum, ad tui* JESU, *tuumq́ amorem honoremq́ converte!*

S. MARIA, à cryptâ, *coram cujus imagine ludentes, hoc die, anno* 1564. *pueri, viderunt ex illius fronte, ac oculis magnam lacrymarum, & sudoris vim emanare, cujus sudore illitum fœminæ latus, omnes illius dolores illico abstersit: ibidem mutus loquendi facultatem, mulier, cujus pectus morbo quopiam totum corrosum fuerat, sanitatem recepit: aliis quoq́ morbis, ac dæmonibus, ope tuâ fugatis Vnde imago auro, antrum argento contectum est, ac templum ibi erectum. Domina, Domina fac, ut te pretiosissimis quibus possum, modis honorem ac orem, arce à me nugas, quæ te offendunt: doce me seriò agere negotium æternitatis meæ, doce me dolere, doce amare, doce laborare, ac sudare, amore tui Filii, Dei mei!*

ANNI CÆLESTIS.
MAJUS.

1. *Maji. Kalendis Maji.*

SAncte Philippe, Scytharum & Phrygum Apostole, qui à magistro JESU *ostendi* tibi

cœlestem, Dei videndi avidus, petiisti, & impetrâsti, quando pro illo crucifixus, & lapidatus es. s. Jacobe *juste*, frater Domini, qui à carne, vino, sicera, semper abstinens, Sancta sanctorum ingrediebaris solus: cujus genua flectendi in orando assiduitas callo induit; qui tandem ex alto templi loco Jerosolymis præcipitatus, confractis cruribus, pro inimicis orans, in capite fuste fullonis percussus, animam dedisti magistro Jesu. O sanctissimum Apostolorum par! orate, ut *justus* vivam, & moriar, ut faciens omnes voluntates Dei, frater Jesu, & bonus Dei & Mariæ filius vivam, & moriar, & tum morienti *ostendite* mihi *Patrem, & sufficit mihi*, Am.

s. Hieremia Propheta, lapidate; cujus pulveres morsibus aspidum medentur.

s. *A*ndeole Subdiacone, qui spinosis fustibus cæsus, demum ense ligneo, capite in quatuor partes, in modum crucis, conscisso, martyrium consummâsti,

Ss. Orenti, & Patientia, MM

s. Sigismunde Rex in puteum demerse, & luminaribus, cantibusque cœlestibus, ac miraculis honorate post mortem, febricitantium singularis advocate.

Ss. Orienti, & Asaphe, Episc.

s. Amator Episc. cujus mortui spiritum Sanctorum chorus, cum hymnis, & canticis, ad Dei thronum adduxit.

s. Walburga V. multis è cœlo solatiis, oleo post mortem, aliisque miraculis celebris.

s. Grata Vidua.

B. Peregrine, à Matre Virgine, quam de vitæ ra-

tione consulebas, ad Religiosum asylum invitate, & ab Angelo deducte, ac in ipso religiosi loci ingressu, toto capite cœlesti splendore circumfuse: qui per triginta annos nunquam sedisti, nunquam in lecto decubuisti, nullum diem sine confessione abire vacuum permisisti: cujus putrefactum crus descendens è cruce Jesus tetigit, & sanavit; qui demum clarus miraculis, B. Philippo, & Francisco Senensi comitibus, æternam gloriam adiisti.

S. Marculphe Abba, cui apparens Angelus: *Pax*. inquit, *tibi beatissime Marculphe*; teque ad magna, pro Dei gloria, audenda animavit.

S. Benedicte M. in Hungaria, quem labore per iter fatiscentem Angelus vehiculo domum revexit: qui ut somnum non nisi parcè admitteres, caput circumdedisti circulo, aculeis undique obsepto, & serto ligneo, lapidibus obarmato: ut si somno pressum caput inclinares, à lapidibus illis atque aculeis excitareris: qui cùm S. Andreæ Zoërardi esses discipulus, à latronibus occisus, in Vago flumine demersus, atque aquilæ supervolantis indicio; recens in aquis & integer es repertus.

S. Andrea Zoërarde Benedicti magister, cujus mortui corpori adstricta catena reperta est, quæ jã in viscera penetrârat, sepulta in carne; cujus pars, Geisæ Duci Hungariæ deinde fuit in pretio & honore: in cujus antro depositum mortui cadaver, velut in Elisæi sepulchro, revixit, & sociis attonitis dixit: S. *Zoerardus me à morte suscitavit ad vitam*; adjecitque se ab eo loco non discessurum, sed Deo, & tibi serviturum; id quod præstitit usque ad mortem, qui quendam, tuum nomen assiduè invocantem,

tem, Nitriæ ſuſpenſum, in vita retinuiſti; & ille ajebat poſt ea, ſe tuis manibus in patibulo fuiſſe ſuſtentatum, dilapſoque populo abſolutum, & in tuto depoſitum

s. Theodulphe, ſingularis contra dentium dolorem patrone.

OMNES SANCTI, &c. *pag* 229.

S. MARIA, à Gaudio, *hodie* Bononiæ *celebrata: doce me ſanctam artem gaudendi* O cauſſa noſtræ lætitiæ! *fac ut omnia, quæ ago, gaudium afferant Deo meo, tibi ac ſanctis omnibus, ut* gaudium ſit in cælo ſuper me peccatore pœnitentiam agente, *& ingrediar in* gaudium Domini *mei, ac ibi de me gaudeat Deus meus!*

S. MARIA *quæ hodie, à* B. Henrico Suſone *ſtrena Majalis loco, variis donis, & laudibus es honorata, Tibi do in ſtrenam æternam, omnes dies meos, tua gloria dono hunc menſem, & omnes articulos vitæ, ac mortis meæ!*

2. Maji. 6. Nonas Maji.

SAncte Antonine Florentine, qui quia ſtaturâ puſillus eras, ex Antonio Antoninus es dictus; ob prudentiam verò ſingularem. *Antonium conſilium:* qui à carnium eſu, & à fœminarum colloquis alienus, cilicio & zonâ ferreâ cinctus, Epiſcopatum invitus admiſiſti: qui cum tres (qui ſoli tibi ſupererant) panes pauperibus dari juſſiſſes, pranſurus, plena, in penu, candidis panibus omnia divinitùs reperiſti: qui ſuper domum trium pauperum virginum laborantium tres Angelos, poſtea (cùm eæ, à

te adjutæ, otio vanitatique vacarent) dæmonem incubantem vidisti: qui in bilance ostendisti verba hæc: *Retribuat tibi Dominus!* majoris ponderis esse, quàm poma, quæ dono acceperas: qui pronuntiatâ excommunicationis sententiâ, panem candidum in atrum vertisti; sed ille ad pristinum candorem reversus est, verbis, quibus excommunicatio tollitur, à te prolatis; ideoque negabas, hoc fulmen levi de causa in ullum esse vibrandum: qui ad Crucifixi imaginem divinâ vi elevatus, à suavissimis Jesu Vulneribus, inter oscula, pependisti: qui sanus, ajebas, *Deo servire, regnare esse*, & MARIÆ laudibus immortuus es, cujus anima è corpore tuo migrans visa est, à quodam absente, pulchra gloriæ tuæ luce vestita cœlum conscendere, atque aperto tibi cœlo, coram Christo & Angelis, vicinam S. Thomæ Aquinati sedem tibi parari: qui pauperi per quietem visus, cùm dotem pro sua filia peteret, capite annuisti; & ejus filiam brevi nobilis vir, sine dote, ultrò sibi despondit, ac duxit uxorem. O Sancte mi! impetra mihi morienti duo hæc præsidia, Crucifixi Vulnera, & MARIAM; ut vivam & moriar *in osculo Domini* sicut Moyses; ut mecum vivere, & mori, sit Deo servire, id est, regnare æternùm. Amen.

s. Athanasi Episc. timoribus, calumniis, exiliis, diu multumque exercite, semper victor doctrinâ, & sanctitate.

Ss. Saturnine, Neapole, Germane, & Cœlestine, multa passi, & in carcere extincti, Martyres.

s. Domnus, Exuperi, & Zoë conjuges, Cyriace, & Theodule filii, omnes Mm.

s. Felix Diacone Martyr.

s. Secundine Episc.

s. Vindemialis Episc. doctrinâ, & miraculis contra hæreticos clare, ideoque obtruncate.

Omnes Sancti, &c. pag. 229.

S. Maria, *quæ sancto Antonino morienti præsens ab illo illis verbis es salutata:* Sancta & immaculata Virginitas, quibus te laudibus efferam nescio. *Doce me, quibus laudibus laudem te, quo corde amem te; ut in morte juves me!*

S. Maria à miraculis *dicta Panormi, ob miraculorum frequentiam:* O *Mater admirabilis, sim ego unum è miraculis misericordiæ tuæ! fac me è tepido flagrantem amore Dei, ac tui, idque perseveranter usque in finem!*

3. *Maji.* 5. *Nonas Maji.*

Crucifixe Jesu, da, ut inventa hodie, dejecto infami Veneris stabulo, salutis meæ tessera, tua Crux, ita mihi sit in salutem, ut sicut illa tibi, pro me morienti, mortualis lectulus fuit; ita tu mihi, seu in lecto, seu alibi morienti, æterno solatio sis: & quia illam ideo, ut me invenires, conscendisti; ne quæso, me amplius à facie tua perire permittas; ne sim sicut ovis, quæ periit: sed sim inter inventos tuos, qui semper tecum sunt, nunquam perdendi. Amen.

s. Helena Imperatrix, quæ lignum felix, in quo Deus ipse pependit, hodie invenisti.

S. Alexander Papa, quem Angelus, facem accensam tibi præferentes, postquam tecum orâsset, è carcere edu-

eduxit, & in furno ardente servavit illæsum, Tyranno verò, qui, & sociis insultabat è cœlo dictum; *Quibus tu insultas, paradisus apertus est; tibi verò tartarus*; qui post multa miracula, & Martyres præmissos, equuleo, ungulis. igne tortus, crebris, minutisque stimulis peremptus es.

S. Eventi, & Theodule, post ignes, decollati.

S. Juvenalis Episc. qui hostes oratione, & fulminibus fugâsti; in cujus calice aucta Sancta divinitùs, plurimis suffecêre: quis aquis inambulans, tempestatem sedâsti, navem, mercesque servâsti.

Sancti Angeli, qui crucis effigiem, ad Caravacensem arcem in Hispania detulistis.

S. Antonina Virgo, quæ cœlesti luce, ac voce in carcere animata, maxillis læsis flagellata, è lupanari, mutato habitu, Angeli monitu, ab Alexandro juvene liberata, abscissis. unà cum illo, manibus, in ignem conjecti estis.

Ss. Timothee, & Maura conjuges, qui post multa tormenta, novem diebus in cruce vivi pependistis; quibus Angelus coronam gloriæ ostendit.

Ss. Diodore, & Rodopiane, à civibus lapidati, Martyres.

S. Mechtildis, quæ cum in Sacro de Cruce, audires; *Nos autem gloriari oportet in Cruce Domini nostri* Jesu *Christi*, Crucis symbolum, arborem, in templi medio, proceram vidisti, cujus folia sacrificali sacerdotis vesti serviebant; fructibus verò bestiæ homines, & aves suavissimè canentes, pascebantur; id est, peccatores, justi & sancti; fumo etiam ex arbore erumpente, ac infestos homines & dæmones, nigra-

rum

rum avium specie, illam circumvolantes, fugante. In ramis autem arboris, *ardentium lampadum* specie, *corda* pendebant; arboris succo illis dante nobile alimentum, ac tunc divinitùs es edocta, ut *qui vult Deum diligere*, id quærat in cogitatione cruciatuum Christi, Cruci affixi. Appende cor meum, instar vivæ, ac alimento & igne cœlesti plenæ lampadis Cruci Christi, ut seriò velim *Deum diligere*; idque discam à Crucifixo, qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me.

OMNES SANCTI. &c. *pag.* 229.

S. MARIA, *quæ in monte Serrato, hodie repente usum unius manûs, quo penitùs carebat, cuidam restituisti. Tuo amori dedico manus, & cor, cogitationes, & opera mea; tu illa filio tuo siste!*

S. MARIA, *cujus* Coronationis *festum hodie Bononia celebratur; corona me nunc, & morientem potissimùm, in Dei misericordia, & perseverantia dono!*

4. *Maji.* 4. *Nonas Maji.*

SAncta Monica, quæ & maritum, & filium convertisti: felix mater, cui s. Ambrosius dixit; impossibile esse, ut Augustinus, tantarum lacrymarum, quas pro illo convertendo pia mater fundebas, filius intereat: quæ cum filio de cœlestibus dulciter collocuta, illuc suspirabas, & abiisti, ubi jam una cum illo es: quæ moritura, ut sacrificium pro te mortua fieret unicè flagitâsti. Ora pro me, unà cum sancto illo tuo filio, sancta mater; ut sim & ego filius, non jam lacrymarum, sed orationum tuarum; sit-

que impossibile, ut filius tantarum precum inteream. Amen.

s. Silvane Episc. & sancti triginta novem Martyres, ad metalla damnati, ferro candente adusti, capite cæsi.

s. Cyriace Ep. M.

s. Porphyri Martyr.

s. Antonia, quæ post immanes cruciatus, altero brachio tribus diebus suspensa, & in carcere biennio detenta, flammis exusta es.

s, Floriane, qui quadraginta olim tuorum militum Martyrum exemplo, ad martyrii gloriam incitatus, fustibus in scapulis, & ferro verberatus, cùm in ponte Anasi fluminis, in Austria, per horæ spatium orares, alligato ad collum saxo in fluvium præceps dejectus es: cujus corpus in saxo ab aquis depositum, prægrandis aquila, divinitùs missa protexit. Tu verò Valeriæ viduæ te spectandum præbens, eam de condendo tuo corpore monuisti.

s. Pelagia Virgo, in baptismo, Angelorum, & MARIÆ aspectu recreata: quæ in bove æneo, pro Christo, comburi maluisti, quàm, negato Christo, nubere Imperatori; ac demum, cœlestis oraculi monitu, eo in loco, qui *mons congregationis* dicitur, sepulta es.

S. Pauline M.

Ss. Veneri, & Sacerdotes, Episc.

S. Curçodome Diacone.

S. Catharina, à Beatissima Virgine à Judaismo ad fidem vocata, postea sanctimonialis.

S. Valeriane M. qui etiam post mortem hostem fugâsti, quando per Urbis tibi devotæ mœnia obequi-

equitare, per noctes aliquot, es conspectus,

s. Joannes cæce M. ex Ægypto, mirâ memoriæ vi omnes divinas literas complexe.

s. Gotharde Episc. qui cùm mortuum adolescentem ad vitam revocâsses & expiâsses, ille tibi supplex, jube, ajebat, jube me, sancte Pater, nunc iterum in pace quiescere. *Mundum nimis horreo, qui suos amatores, mittit in gehennam*, & te illi bene precato, ille iterum requievit in pace. qui hebeti Patavienſis civis filio sapientiam admirabilem impetrasti: qui miram excommunicationis vim, etiam mortuorum testimonio, ostendisti, in cujus honorem concepto voto, unicus Comitis cujusdam in Ungaria filius mortuus, vitæ est restitutus; qui, cùm in agone tuo cantari illud; *Illuminare his qui in tenebris, & umbra mortis sedent*, audisses, adjunxisti: *Ad dirigendos pedes nostros in viam pacis*; & dum *Gloria Patri*, &c, caneretur, cum Antiphona: *Ascendo ad Patrem meum, ac Patrem vestrum*, ad Patrem nostrum, qui est in cœlis, ascendisti. Juva me, ut ego ascendam,

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 229.

S. MARIA, quæ s. Gothardum *prehensâ manu ad Crucifixum dixisti, & ut errati cujusdam non gravis veniam peteret, impetrâsti: duc me ad* JESUM *; doce me veram pœnitentiam de minimis etiam peccatis; ut sim mundus totus!*

S, MARIA, cujus imago Modicæ in Sicilia, hoc die, manè anno 1615. *supra collem reperta est; & per plures deinde annos è colle illo, frequenter splendores ac radii emicabant, ac oppidum illustrabant, colle idcircò à spinis posteà expurgato, ibi sabbato quodam, dum*

Litania tua canerentur, plurimi ope tuâ sunt persanati. Sana me, Domina, & sanabor, etiam ab occultis morbis meis. imple cor meum splendoribus Sanctorum: exure igne amoris Dei spinas meas, quæ sauciant animam meam!

5. *Maji.* 3. *Nonas Maji.*

SAncta Jutra Vidua, quæ Sanctorum Vitas à teneris legens, à Christo, pro quo è ditissimâ pauperrima facta es, audisti: *Omnia mea tua sunt.* Simulq; potestatẽ accepisti, ut è divino ærario cordis Dei Jesu, quemcunque tibi velles, thesaurum depromeres; deprompsisti sanctam in divinis penetrandis sapientiam. Sæpè elevatum à terris in cœlum corpus, etiam anima est secuta, quando à Christo ad æternitatis delicias invitata, ivisti. Doce me legere, & imitari vitam, ac pretiosam mortem Sanctorum: deprome mihi è thesauro cordis Jesu illam Philosophiam, quæ docet vivendo sanctè mori; ut ita, sicut tu, à Christo invitatus, æternis æternitatis deliciis æternùm fruar. Amen.

Ss. Crescentia, & Silvane, Mm.

s. Euthymi Diacone, qui, ob Christum, in carcere quievisti.

Sancti Irenæe, Peregrine, & Irena, Martyres combusti.

s. Joviniane Martyr.

s. Angele Carmelita, cujus parentes Hebræi, Jerosolymitani cives, de te, ac Joanne fratre tuo nascituro, docti divinitùs, cilicio cooperti, ac orantes, à Beatissima Virgine, Angelorum cœtu comitatâ, vi-

visitati, de Messia instructi, sæpe patriarcham adire ac audire jussi, baptismo expiati, ab Angelis in templum introducti, ibi Christum, in sacra hostia spectabilem, viserunt. qui (Joanne quoque fratre tuo ægros curante, ac mortuos suscitante) Jordanem, aquis hinc & hinc tibi apertis, cum septuaginta hominibus, sicco vestigio transivisti: Josephum adolescentem, ac septem alios, ad vitam revocâsti; in deserto, in quo Christus olim jejunârat, per quinque annos, ab Angelis visitatus es, & mortuus: quem Christus, cum *Angelis*, ac *Sanctis* aliis, in eremo invisens, & ad iter, ac labores mortemque *Dei amore* suscipiendam, hortatus, tibi martyrum, & de Turcico Imperio multa, prædixit: qui Romæ s. Franciscum, & s. Dominicum, amanter complexus, mira & illis prædixisti, & eos de te prædicentes audivisti: cui s. Joannes Baptista apparuit, & dixit; *Virtutes tuas* Jesu *Christo, & Magnæ ejus Matri mirificè placuisse*; te in cœlo ab Angelis expectari, *Exultant*, addebat, *cives cœlestes de tuo adventu*; *in perennem enim cœlorum gloriam assumeris*: qui ab impuro, quem de scelere corripueras, vulneratus, psallere cœpisti: *Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum* &c. *In te, Domine speravi* &c. & ad verba, *In manus tuas, Domine commendo spiritum meum*; auditâ cœlesti voce, *Angele, veni, accipe coronam gloriæ*, è refulgente tuo corpore anima migravit, & in candentis columbæ specie cælum transcendere magno lumine radians, visa est inter chorus accinentium Angelorum: posteaque Archiepiscopo apparens dixisti: *Frater, & amice, ecce vado ad gloriam, Valet, & quod facis, Deum time sepelias corpus meum*

in loco, ubi, JEsu *amore, martyrium sustinui*. Hæc tu illi, sanctum Bernardum legenti, dixisti, & videri, ac loqui desiisti. Doce me sancta sanctè legere: doce Dei amore agere omnia; ut ita singula, quæ ago JEsu *Christo & magnæ ejus Matri, mirificè placeant*, eosque delectent.

S. Maxime Episc. post effossum oculum, & pedem ignito ferro adustum, ad metalla damnate.

Sancti Eulogi, Niceti, Theodore, Sacerdos, Geranti, omnes Episcopi.

s. Hilari Episc. quem corporis, ingenii, modestiæque dotibus amabilem, piis colloquiis & fusis pro te precibus, ad cœlestia inflammavit s. Honoratus: qui columbæ, capiti tuo incubantis, indicio factus Episcopus, aliquos, è templo ante tempus exeuntes, his vocibus revocâsti; *Exite, exite, quia non licebit vobis de gehennâ exire.*

s. Augustine, sancti Ambrosii operâ, maternis lacrymis hodie converse, & post baptismum, unà cum sancto Ambrosio, *Te Deum laudamus*, canens.

s. Herina V. M. quæ semimortuum patrem tuum Imperatorem sanâsti: quam in tenebris Angelus lampade perpetuâ recreavit.

s. Teuteria Virgo regia, quæ sub textis repentè aranearum telis mirè latuisti; ac in conspectu adstantium Angelorum, exilium cum patriâ commutâsti.

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 129.

S. *MARIA, quæ* sancti Angeli *hodierni parentibus conversis, hunc filium Martyrem præmisisti, cujus imaginem à S. Luca pictam, idem è cœlo monitus, in Italiam detulit. Converte me: fac me dignum, & idone-*

idoneum, ad honorem tuum & gloriam, Dei amorem, omnium oculis, auribus, cordibus inserendam!

6. Maji. Pridie Nonas Maji.

SAncte Joannes Damascene, cui, ob sancta de cultu imaginum scripta, amputata, & in foro palam suspensa, manus, Beatissimæ Deiparæ, tibi apparentis, ope integrè restituta est; ut illam, contra grassantem ubique impietatem, impiger, ejusdem Virginis monitu, exerceres. Porrige mihi auxiliarem manum tuam, pone me juxta MARIAM; & cujusvis manus pugnet contra me, viventem, & morientem Amen.

s. Joannes Evangelista, dilecte Jesu, Apostole, Propheta, qui hodie Romæ missus in ferventis olei dolium, purior, & vegetior, quam intraveras exivisti.

s. Evodi Episc. Martyr.

Ss. Luci, & Theodore, Episc.

Ss. Heliodore, & Venuste, MM. cum aliis septuaginta quinque.

ss. Protogenes, & Eadberte, Episc.

s. Benedicta V. quæ S. Gallam, trigesimo post die, ut s. Petrus prædixerat, secuta es ad coronam.

s. Matthæe Apostole, hodie Salernum translate.

sancti, plus quàm centum Cistercienses Monachi Martyres.

s. Joannes, qui hoc die s. Gertrudi ægræ dixisti; momentaneum esse omne id, quod hic toleratur, ad æternas delicias in cœlis, quæ eam exspectabant.

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 229.

S. MARIA, *quæ Superiorem religiosum admonuisti,*

ut S. Joannem Damascenum, *suum subditum à laboribus aliis ad scribendos libros transferret. Dirige manum meam, & fac tibi sacram in iis, quæ scribo, quæ ago; ut sit perpetuum instrumentum gloriæ tuæ!*

S. MARIA, *Oetingana, quæ Sophiæ phrenetica, & quarto jam anno muta, hoc die, anno* 1635. *valetudinem integram, ac linguæ usum repente in sacello tuo reddidisti. Fac me mutum ad ea quæ tacere me vis; & eloquentem in iis, quæ Deo, quæ tibi maximè placent!*

7. Maji. Nonis Maji.

SAncte Stanislae Episc. qui Petrum quendam, ante tres annos mortuum, ad vitam reductum, ad tribunal pro teste duxisti; & posteà sanctissimo sacrificio intentus, ab ipso Rege obtruncatus, Dei, ad aram usque amicus, martyr victima cecidisti. Concisum membratim,& sparsim per agros corpus ad effusam è cœlo lucem, collectum, & compositum, ultrò iterùm, absque vulneris vestigio, coaluit. Adesto & mihi moribundo tuâ ope, non ut me ad vitam hanc revoces, sed ut ad æternam voces, mihi usque ad propitium Jesu tribunal, inde usque ad cœlum comes. Amen.

S. Flavia Domitilla Virgo, pro Christo exul, genere, doctrinâ, miraculis,& animarum lucris nobilis incenso cubiculo, unà cum Euphrosina, & Theodora Virginibus, Martyr.

S. Juvenalis Martyr.

Sancti Flavi, Auguste, Augustine, fratres, Martyres.

S. Quadrate, repetitis tormentis afflicte, capite truncate.

S. Bene-

S. Benedicte Papa.
S. Petre Episc.
S. Joannes Episc. qui signo Crucis muti linguæ impresso, illum è muto loquentem fecisti, aliis etiam persanatis.
S. Domitiane Episc. cui assurgens terra sedem ultrò præparavit; qui pertinaces hæreticos tuis precibus obcæcâsti.
S. Raphael Archangele, in Betica, contra luem pestiferam, celebrate.
S. Stephane protomartyr, hodie Romam translate.
S. Alberte Conf. qui in primo religiosæ vitæ tyrocinio, à dæmone, sub fœminæ formâ latente, ad nuptias variè tentatus, eum fugâsti victor, quando dixisti: *Abi, quò superbia tua te deturbavit: relinque me*, qui Messanam, dilectam Dei Matri Urbem, à fame tuis precibus liberâsti; voce quoque tunc de cœlo auditâ, quæ preces tuas exauditas esse dicebat: quo etiam tempore quatuor triremes frumento onustas, Angeli ad portum advexêre; nec triremibus, nec vectoribus, post frumentum Urbi illatum, conspectis, qui super aquas incedens, Judæos periclitantes liberâsti, & baptismo expiâsti; qui æger, ac (uti de te dicebatur & scribebatur) *igne divino* incalescens, vocem è cœlo audisti: *In Confessorum choro recipere, æternum Deo fruiturus*, fruere; ama, gratulor; sed rogo, accende me *igne divino*, viventẽ, & morientem ita sciam, dæmonem, ac me vincere, ita sciam benè orare, ac demum Deo frui unà tecũ.
OMNES SANCTI, &c. *pag.* 2 0.
S. MARIA, *quæ, cum* S. Stanislao *cuidam tuo clienti apparens, affirmasti, te de insigni, quam erga te*

ga te, & S. Stanislaum habebat, pietate gaudere; illumque, ut pergeret, hortata, copiosam in cœlo illi, unà cum Sanctis mercedem repositam esse, dixisti. Ora, ut ita colam te, ac tuos, ut gaudeas de me!

S. *MARIA, cujus honori concepto ad Deum voto, tibi promissus, conceptus & natus est hodiernus tuus* Albertus, *ostensus patri & matri suæ per quietem, quasi hæc pareret cereum accensum atque splendentem, qua eumdem parenti, illum ad nuptias urgenti, conspecta minaciter, dixisti;* Cur celerius, quod debes, non persolvis, & penès te, quod alienum est, retines? Albertus hic tuus meo cultui est addictus. Ni mihi servum reddideris meum, scias repentinò te moriturum: *& ipse, ad Drepanitanam tuam imaginem, illicò tibi datus est Religiosus. Domina, sim ardens amoris Dei igne, lucens exemplo, cereus omnibus, qui in domo tua sunt, sim tuus totus undique, undequaque fac me sanctum; ut illum fecisti; fac, ne possit me à te quicquam avellere!*

S. *MARIA, cujus imaginem, unà cum Sancti tui hodierni* Alberti *imagine, ferro vulnerans desperatus aleator; (eò quòd à vobis non juvaretur ad lucra per aleas colligenda) tuâ & Alberti, imagine sanguinem reddente, fulmine ictus interiit. Doce me à te, ac à Sancti olim tibi peculiari studio addictis, petere aurum amoris Dei. & ita petere, ut merear impetrare, ad lucra æternitatis!*

8. *Maji.* 8. *Idus Maji.*

SAncte Victor Martyr, fustibus cæse, qui tyranni minis respondebas; *Christianus sum, & Christo,*

cujus

cujus spiritu nutrior, totum me ab ineunte ætate consecravit: qui longâ fame cruciatus, & bulliente plumbo inter orandum perfusus, velut aquâ recreatus es; & capite plectendus, dixisti: *Gratias ago tibi, Domine* JESU *Christe, quod me à civibus meis, Nabore, & Felice, Sanctis tuis, non separaveris*, S. Victor, qui mortuus etiam captivos è carcere liberâsti; libera me, quæso, ne in æternum carcerem detrudar post mortem; sed æternus tuus sim civis in civitate Dei, agamque gratias æternas Deo JEsu quòd me tibi, & sanctis civibus tuis, Nabori, & Felici, junxerit in æternitate. Amen.

S. Michael Archangele, qui in monte Gargano hodie apparuisti.

S. Acathi centurio, qui verberatus & maxillis contusis, pro constantia Deum orans, vocem è cœlo audisti: *Acathi, esto constans!* qui conversis pluribus, à splendidè ornatis Angelis posteà visitatus, solutus, sanatus, pastus es: tandem contritis dentibus, à decem hominibus, virgis quernis flagellatus, cùm JEsum inclamares, iterum vocem, quâ felix tibi promittebatur æternitas, audisti. Acceptâ verò mortis sententiâ exultans exclamasti. *Quam multis te linguis, Christe, dux vitæ, laudare vellem, qui me tali sorte dignatus fuisti*! ac denique, dato capite, promissam æternitatem ingressus es.

Ss. Dionysi, & Helladi, Episcopi.

S. Petre Archiepiscope, cujus, tunc adhuc vivi, nomine implorato, captivi, in carcere clausi, te sibi divinitùs præsentem viderunt, & à te porrectâ manu educti, ac in tuto sunt collocati; qui cibo modico multos mirè pavisti, qui per honores, absque omni

omni elationis, voluptatis, contagione, transivisti; benignitate in pauperes, miraculis, zelo Catholico, pacis faciendæ artibus, morte sanctâ, felix!

s. Amande, qui, pallium solis radio, velut clavo, appendisti; calumnias fortiter passus, carnem castissimam flagro ferreo macerâsti, in memoriam Christi passi; ditatis pauperibus, & factus ipse pauperrimus.

s. Wiro Episcope.

s. Prisce Episc. irasci nunquam vise; qui ignem calefaciendis sociis illæsâ velle portâsti: cui divina celebranti, Angelos accinentes, Pontifex, apud quem fueras accusatus, audivit: cujus cadaveri tumulando, duæ tuæ sorores, unà sepultæ, locum in medio fecêre; id quod ab illis vivus petieras.

Omnes Sancti, &c. *pag.* 229.

S. Maria, *cujus imago hodie à* S. Gregorio, *in luce Romana per urbem in supplicatione circumlata est; & Angelus gladium in vaginam recondens, conspectus est. Mitte Angelum, qui omnem in me, & à me, pestem extinguat!*

9. Maji. 7. Idus Maji.

SAncte Gregori Theologe, cui Puritas, & Sapientia Virginum specie, spectabiles, mundum sibi in corde tuo habitaculum præparatam dixêre, qui consuetos dolores tuos, solo eo, quo divinis operabaris, tempore, non sensisti, mox deinde reversos: qui spectato frequenter Christo, Sanctorum, ac Doctorum familiaritate delectatus, multis confe-

confectus ærumnis, , sæpè lapidibus impetitus, ad locum nullis ærumnis obnoxium abiisti. Jam Christum semper vides : videbisque. Ora, ut ego ita hîc agam omnia, ita patiar omnia, ut JESUM æternum videam. Dicam ego moriens, id quod tu, cùm patereris, dicebas: *Et, si ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala; quoniam tu mecum es.* Amen.

s. Herma.

Sancti trecenti decem Martyres Persici.

s. Alphi, ac socii, noctu à Ss Petro, & Paulo visitati, & liberati, postea Martyres.

S. Geronti Ep.

s. Beate Conf.

s. Andrea, hodie translate, Apostole, è cujus sepulchro liquor ad languores curandos manat.

s. Luca Evangelista, S. Timothee, s. Hieronyme, Ecclesiæ Doctor, S. Nicolae, Myrensis Episcope, hodie translati.

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 229.

s. MARIA *cujus sacra domus ex Nazareth, hoc die, anno* 1291. *ab Angelis, in Dalmatiam est translata.* O *Domina, quæ deseris locum, in quo benè non coleris! fac, ut ita te colam, ut ne unquam deserar à te!*

10. *Maji.* 6. *Idus* Maji.

SAncte Job, Rex, antiquissimum sanctissimumque altissimæ patientiæ exemplar, & Christi figura singularis: in quo vincente triumphavit Deus, & dedit tibi vincenti manna absconditũ: qui ab ipso Deo laudatus es, quòd esses servus Dei, simplex, rectus,

rectus, timens Deum, ac recedens a malo. Fac, ut sim dignus laudibus Dei; doce me laudes humanas contemnere, doce semper ex corde dicere, etiam in adversis: *Sicut Domino placuit, ita factum est, sit nomen Domini benedictum!* doce me pangere cum oculis meis fœdus castissimum, quod semper servem, amore Dei oculos meos claudente & custodiente sub aurea clave modestiæ; usque dum oculos felici morte claudam, & unà tecum in carne mea videam Deum Salvatorem meum. Amen.

S. Gordiane, cum uxore, quinquaginta tribus à familia baptizate, plumbatis cæse, capite plexe, cujus corpus canes, quibus in prædam projectum fuerat, custodivêre.

S. Epimache Martyr.

S. Calepodi Presb. Martyr.

S. Palmati consul, cum uxore, & filiis, & aliis è domo quadraginta duobus, Martyres. S. Simplici senator, cum uxore, & aliis è domo sexaginta octo, Martyres. Sancti Felix, & Blanda, conjuges, Martyres; quorum omnium capita, per Urbis portas, ad Christianorum terrorem, suspensa sunt.

Ss. Quarte, & Quincte, Mm.

Ss. Alphi, Philaldelphe, & Cyrine, Mm. nobiles Vascones, S. Vitalis, & S. Benedicti filii, cum Onesimo magistro vestro, Erasmo sororis filio, ac tredecim condiscipulis, comprehensi, è capillis appensi, Romæ postmodùm in carcere percussi, uncis excruciati, clavis ignitis calceati, è pedibus suspensi: pice ac plumbo sæpiùs perfusi, ac per biennium fame, igne, variéque vexati, tandem alius linguâ exactâ, alius in craticula super prunas, alius

in

In lebete ferventis plumbi & picis, consumpti estis.

S. Dioscorides Martyr.

S. Catalde Episc.

Sancti Nazari, & Celse Puer, hodie à S. Ambrosio translati Martyres.

S. Isidore Agricola, quem in opere rustico Angeli adjuvêre.

S. Christina V. M. quæ distributis in pauperes diis tuis aureis, & argenteis, tota dilaniata, ab Angelis sanata, & è mari educta, linguâ amputatâ, corde sagittâ transfixo, virgo Christo victima cecidisti.

S. Nicolae Eremita, cujus corpus, per trecentos triginta sex annos, incorruptum repertum, cùm hoc die, anno 1503. in maxima pluviæ inopia super altare positum fuisset, ingentem pio populo è cœlo pluviam impetrasti: & cùm inter alios, ad reliquias tuas osculo venerandas, etiam impura mulier accessisset; ad ejus accessum retraxit se sanctum tuum corpus, nec tangi se permisit à manib9 illis non castis: pluribus præterea eodem die persanatis, deinde etiam dæmonem è cadavere quodam ejecisti; & putridum repentè concidit cadaver, quod dæmon per annos plures dicitur possedisse, atq; circumtulisse, velut animæ officia in eo imitatum, illusis eorum oculis, qui eum videbant. Ora pro me, ne mihi illudat ille impostor; fac, ut portem Christum in corpore meo, ut in illo vivam, & ille in me, ille loquatur in me, ac doceat me amare, loqui, tacere, vivere, atque mori.

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 129.

S. MARIA, cui hodie Constantinopolis est dedicata. Ora, ne te deseram, ne fiam impius; ne à te desertus, peream; ut illa interiit? *11. Maji.*

11 *Maji. 5. Idus Maji.*

SAncte Anthime Presb. qui cum alligato ad collum saxo in Tyberim projectus, coruscante Angelo liberatus, pluribus posteâ ad Christum, & martyrium adductis, plexus capite, secutus illos ad Christum es. Adesto mihi cum Angelo tuo nunc, & in illa tremendarum tenebrarum hora; ut illius horæ tenebras tuas, tuique Angeli, lux illuminet, fugetque angelos tenebrarum; ac me ad requiem æternam, lucemque perpetuam hinc educat. Amen.

S. Evelli, exemplo Sancti Torpetis converse, & capite plexe.

Ss. Maxime, Basse, Fabi, MM.

S. Anastasi, & socii Martyres.

Sancti Sisini, Diocleti, & Florenti, lapidati.

S. *Beatrix*, cujus pro Christo præfocatæ prædium quia invaserat Lucretius, ab infante, inter pocula hæc audivit: *Audi Lucreti, occidisti, & invasisti; itaque datus es in manu inimici*; & inter epulas à dæmone correptus expiravit infelix.

S. Gangulphe *M.* vir nobilis, qui ab adulteræ uxoris tuæ turpi amico occisus, a Deo miraculis es honoratus; adulter verò ille, visceribus egestis, repentè occubuit.

S. *Mamerte* Ep. qui in terræ motu, ac luporum, urbem etiam ipsam ingredientium, furore, ad imminentem cladem avertendam, Rogationum Litanias primus instituisti.

S. Philippe, qui à Pontifice, tibi manus imponente,

nente, juſſus. Latinè ſtatim locutus es, hactenus ejus linguæ ignarus: qui uſurarium, meliora ſpondentem, à morſu viperæ luto & ſputo ſanaſti, vivuſque inferri in tumulum voluiſti.

s. Majole Abba, cujus opem poſcentes plurimi, ab oculorum, aliiſque doloribus, à febribus, ſerpentibus, lupis, dæmonibus, liberati ſunt.

s. Illuminate Confeſſor.

s. Edualde, in cœlum aſſurgentis igneæ columnæ ſpecie, viſe à matre, poſteà undequaque mirabilis.

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 229.

s. MARIA, *de Victoria, cujus hodie imago Romæ, anno 1622. à Gregorio XV. recepta eſt. Doce me vincere me in me; ut æternum triumphes in me, & de me!*

12. *Maji.* 4. *Idus Maji.*

SAncte Epiphani, qui in ipſo tuo baptiſmo, vultu radiante, & imminente capiti coronâ es viſus; multâ deinceps, & erga MARIAM amoris, & ſcriptorum, & vitæ, & mortis gloriâ illuſtris; qui cùm aqua neceſſaria deeſſet iis, qui vinum habebant, nec eo indigebant, vinum illud in aquam mutâſti: dæmonem ex eo, quem per duos, & viginti annos obſederat, ejeciſti: Regi Perſarum, ad pedes tuos pretioſa munera offerenti, reſpondiſti: *Chriſtus me docuit his non egere*, qui mortuum adoleſcentem veſte tuâ induiſti, pro eo eráſti, & ille reſurgens à mortuis te amplexus eſt. Indue me tuis virtutibus quæ me excitent ad vitam immortalem. Intercede

pro

pro me apud JESUM, & MARIAM, de quibus tam benè scripsisti, ut & ego ad eam, quæ feliciter morientes manet, coronam, erudiam omnia illa, quæ cogito, quæ dico, quæ scribo, quæ facio. Amen.

Sancti Neree, & Achillee, fratres, ob Christum, & persuasam Domitillæ virginitatem, exules; post verbera, equuleum, flammas, securi percussi.

s. Domitilla, nobilis virgo, unà cum cubiculo, incensa.

s. Prancrati, quatuordecim annorum puer, qui blandiente tyranno contempto, tenerum caput gladio, Christi causâ, dedisti.

s. Dionysi, s. Prancratii patrue.

s. Philippe, prædicatione, & liberatis energumenis clarissimè.

s. Hippolite, cujus feretrum, in supplicatione circumlatum, pestem extinxit.

s. Germane, doctrinâ, & zelo sancto plene Episcope.

s. Modoalde Episc. nobilitate, liberalitate, rerum humanarum contemptu, miraculis magne: quo invocato, sacræ Deo Virgines, in tuo cœnobio, intra dies triginta, morte placidâ occubuêre; ne quid in hostili tumultu indecens paterentur: è cujus reliquiis furto sublatis, recens fluit sanguis.

s. Dominice Calciatensis, MARIÆ, & S. Jacobo, Hispaniarum Apostolo, devotissimè, peregrinorum advocate.

s. Richtrudis, sancto conjuge, sanctâ prole, felix, quæ posteâ Vidua, te ac filias tuas, Christo dedicasti, omniumque sanctum exemplar virtutum, etiam

etiam post mortem clara miraculis, obdormisti.

s. Philippe Argyrion, Siciliæ Apostole, dæmonum terror.

OMNES SANCTI. &c. *pag.* 229.

S. MARIA, *Silvaducensis, cujus ope mirabili, voto piè concepto, undecim nautæ ducentos piratas vicêre; cùm nautæ nullo ictu irrito jacularentur, piratæ verò nullum omninò nautarum vulnerarent, semper incassùm jaculati. Doce me sic vincere ope tuâ, ut il*[illegible] *lædam hostem tuum & meum!*

13. *Maji*, 3. *Idus Maji.*

SAncta MARIA ad Martyres, Regina Mart[illegible], atque Sanctorum omnium; in cujus honorem, B. Bonifacius Papa dicatum antea falsis diis omnibus Pantheon, hodie Deo Filio tuo dedicavit. Sim ego templum Filio tuo; tuo, Sanctorumque omnium nomine, dedicatum: & sicut olim templum illud omnibus dæmonibus commune fuit; ita ego Deo, tibi, & *Sanctis* omnibus sim sacer, idque æternum. Amen.

S. Glycetia, ter cònsulis filia, quæ Christianis, *Videte, ajebas, & vobis cavete, ac diligenter animadvertite, qualis est Imperator ille, cujus characterem habemus, & quali forma in fronte signati sumus, qualis denique monetæ inscriptionem accepimus. Demus operam ut characterẽ illum ab omni labe purum custodiamus*, quæ dum alii, cum lampadibus, ad sacrificia currerent, rogata, ubi lampadẽ tuã haberes? crucem fronti tuæ inscriptam, ostendisti, & lapidibus es impetita; sed illi te tantùm circumdabant,

 non

non tangebant:cui, pro Christo, è capillis pendenti, ungulis laceratæ, Angelus tormenta temperavit, à compedibus absolvit, mensam epulis instruxit, fornacem extinxit, detractam capiti cutem restituit: quæ primum nihil à bestiis læsa, tandem ad cœlum cœlesti voce evocata, uno leonis morsu abiisti. Offer aliquid è tormentis tuis, è nobili sanguine; offer pro me preces tuas Deo Jesu; ut & mihi, inter mortis tormenta jacenti, adsit Angelus, invitatusque ad illam, ad quam tu invitata es, cælestem æternitatem, comparcam, Deum tecum amaturus æternum.

Beate Muci Presb. Martyr.

Omnes sancti Martyres, in Ecclesia, Theonæ occisi.

S. Servati, ut ad mortem te præparares divinitus à S. Petro dum ad ejus sepulchrum orares, monite, cujus sepulchrum nix, licet alibi ubique circum ningeret, non operuit.

S. Joannes Episc. cujus admirabile silentium, & virtutes, miraculis ornavit Deus, cui, cruce insignita, in cœlo, stella, itineris dux, illuxit, hâc etiam voce auditâ. *Si vis esse salvus, sequere hanc lucem*, quem leo à barbaris defendit; ac cœlestis visio, & postea Angelus, quantus coram Deo esses, declaravit.

S. Alexander, ab Angelo ad martyrium animate: qui cum caput gladio dares, adstantes tibi Angelos vidisti; & matri, post mortem, gloriosus apparuisti.

S. Hilare, parvule corpore, sed dæmonum magne terror, qui dæmonem ex Olybrio patritio fugasti;

gasti, & illum, ac nonaginta ejus familiæ capita, baptizasti; ad quem, cùm iratus tibi Theodoricus Rex eques iret, equus illius ingredi cœnobii septa non potuit; sed stetit immotus. Pelle procul à me & dæmones, & homines, qui nocere mihi volunt, juva me; ne ipse noceam mihi ipsi.

OMNES SANCTI &c. *pag.* 229.

S. *MARIA*, *ad Martyres, cujus in honorem hodie Deo templum (dictum Pantheon est dedicatum.) Aufer à me, quicquid est in me alienum à te : dedica me Deo, illi me dedico & ego in honorem tuum.*

S. *MARIA, quæ hodie sancto tuo* Bernardo, *coram tuo imagine attentè ardenterque oranti, locuta diceris eum purissimi tui pectoris lacte virgineo, in os ejus immisso, recreasse. Irriga cor meum igneo tuo lacte; ut mel tuum, & lac tuum sit sub lingua mea, loquente tibi, loquente de te: doce me amare, doce orare, doce tacere ac loqui. Da, ut corde toto rationabile, divinique amoris plenum, sine dolo, lac concupiscam; & quotidie, ab hoc alimento, in solido Dei amore proficiam; non minùs, quàm in malo proficiant ii, quos uberibus voluptatis, & lacte dæmonum, lactant peccatores!*

14. *Maji. Pridie Idus Maji.*

SAncte Victor, in digitis excruciate; à fornace ardente, in qua triduo jacuisti, à veneno, quod bis bibisti, illæse; qui per triduum, prono in terram capite, suspensus, excæcatus, cute exutus, à s. Stephano qui duas è cœlo coronas tibi, & sibi, ferri videbat, animatus; tandem illa duabus arboribus alligata,

& discerptâ,tu securi percussus, geminis illis coronis coronati estis. O quantulum est id, quod ego ago,vel patior, pro illa, quam moriens, in agone, accepturum me spero coronâ! Orate, S. Victor, S. Stephane;ut me ad illam quotidie & sciam, & valdè velim, disponere. Volo immori obsequiis Dei mei: vos orate, ut merear coronari. Amen.

s. Bonifaci M. qui à peccato carnis, adeò generosâ pœnitentiâ,tamque seriò surrexisti, ut peregrinabundus: ad MM. sepeliendorum obsequia, te ultrò demiseris;& ipse deinde ungulis ferreis,acutis sub ungues adactis calamis, ac plumbo liquefacto in os infuso, dicebas: *Gratias tibi ago Domine* JESU *Christe Fili Dei!* tum ab olla picis ferventis integer, cervicem gladio porrexisti.

s. Constanti Ep. cujus ope, ferrea pœnitentium vincula, ceræ instar, sunt dissoluta.

s.Bonifaci Ep.qui nugatori cuidam mortem citam & malam prædixisti; in pauperes etiam per miracula liberalis.

s. Ponti senator, qui duos Cæsares ad Christum convertisti; & post plura miracula, ac tormenta, capite cæsus pro Christo es; illis, qui te torqueri jusserant, à dæmone suffocatis.

Sanctæ Justa, Justina, & Henedina, Martyres.

s. Paschalis Papa.

s. Pomponi Episc.

s. Pachomi,quo præsente dæmon obmutuit, qui prima post baptismum nocte, cælesti rore pastus, & cælesti voce recreatus es: regulam ab Angelo,in tabula descriptam, accepisti: qui quendam, ob leves jocos, à tuorum numero ejicere dum velles, illum

illum unum ex optimis effecisti : cui misericordiam petenti, adolescens pulcherrimus JESUS, coronâ spineâ redimitus, inter Angelos apparuit, qui dicebant : *Quoniam misericordiam petiisti, ecce ipse est misericordia Deus gloriæ, Jesus Christus*, posteà somni, cibique parcitate, orandi, ac jejunandi assiduitate, lacrymis, Angelicis visis, multorum conversionibus, relatis de diabolo victoriis, obtentâ divinitùs linguarum notitiâ, laboribus, lætâ morte, mirabilis, amabilis.

OMNES SANCTI &c. *pag.* 185.

S. MARIA Major, *cujus nomine* S. Pomponius *hodiernus, Neapoli templum extruxit. Ora pro me, ut ne destruam, quod in me per te, ædificat Deus! ut sim templum tuum, in quo sint tui oculi, nomen, & cor!*

15. *Maji. Idibus Maji.*

SAncta Dympna, Virgo regia, quæ promissum, erigendum tibi è candido marmore templum, statuam auream, divinos honores, pro Christo contempsisti; ut Christiana maneres, & Virgo: ideoque paternâ manu, & gladio cecidisti. Virgineum verò tuum cadaver intactum à feris, & avibus, stupendis miraculis celebre, postea in fabricato ab Angelis candidissimo sarcophago, ab ipsis Angelis conditum est, & repertus rubeus lapillus tuo in pectore, cui Angelus tuum, *Dympnæ*, nomen insculpserat. O age, ut semper, unâ tecum, mortem potiùs eligam, quàm quodlibet peccatum! Age, ut ita hîc mihi sit cordi Deus, ut moriens me in Dei pectore scriptum reperiam. Amen.

Sancti Torquate, Ctesiphon, Secunde, Indaleti, Cæcili, Hesychi, & Euphrasi Episc.

S. Manci Martyr.

B. Isidore M. de cujus, in quem conjectus es, puteo potati infirmi, sanati sunt.

Ss. Petre, Andrea, Paule, & Dionysia, Martyres.

S. Simplici Ep. M. lanceâ perfosse.

Sancti Cassi, Victorine, Maxime, & socii Mm.

S. Roberte, è Lotharingiæ Principibus nate Dux, qui duodecim annos natus, à cœlesti quodam sene, in loco amœno lotus, hæc audisti: *Scalam in cœlum tibi parabis, ubi socius Angelorum eris*; idemque te ad misericordiam hortatus, trigesimo ante mortem die, viginti annos natum sic est allocutus: *Ego te ad gloriam infinitæ beatitudinis voco*: ad quam abiisti felix, quia (ut de te *B.* Hildegardis in vita tua scripsit) *quicquid de inspirationibus Spiritûs sancti accepisti, ipso adjuvante, festinanter complevisti*: Impetra mihi, per illum Spiritum sanctum te rogo, qui tibi loquebatur, ut inspirationes bonas omnes agnoscam, iis obediam, & sic scalam in cœlum mihi parem, ad gloriam beatitudinis infinitæ.

B. Jacobe Philippe, optimæ ac maximæ Dominæ serve sancte, qui per assiduam carnis afflictationem & orationem, per quotidianam peccatorum confessionem, Dominæ tuæ, ac meæ, serviens, ridere nunquam, lacrymari autem inter sacrificandum semper notatus es. Doce me sic colere Deum in Dei Matre.

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 229.

S. MARIA, *cui hanc diem dedicantes Maronitæ illam* Festum Genitricis Dei MARIÆ *vocant.*

Sim

Sim ego festum tuum, laus tua, & undequaque, cum omnibus diebus & horis meis, dicatus tibi; ut dies mortis meæ) sit solennitas exhibita mihi misericordia tua!

16. *Maji*. 17. *Kal. Maji.*

SAncte Ubalde Episc. qui curatis duobus cæcis, tertio, ut cæcitatem mallet, ne oculorum lumen cordi tenebras faceret, persuasisti; hostes Cruce abegisti, & cives sedasti; qui fracto semel brachio, & bis crure, patientissimus; inimico, pro vindicta osculum pacis dedisti. O magne puritatis tuæ vindex, maxime ac potentissime, contra spiritus immundos, Dei sacerdos: impetra mihi, & nunc, & in agone meo, verum cordis lumen & contra omnes impuros spiritus, constans cor; ut illud, & vivens, & moriens, unicus possideat Deus meus. Amen.

Ss. *Aquiline*, & Victoriane, MM.

s. Peregrine Ep. doctrinâ, miraculis, animarum lucris, superatis blanditiis, ac tormentis, capitis obtruncatione, gloriose Martyr.

S. Felix, & Gennadi, Martyres.

Omnes sancti monachi Martyres Palæstini.

S. Auda Episc. septem Presbyteri, novem Diaconi, & septem Virgines, per varia tormenta Martyres.

s. Honorate Episc. qui super B. Virginis aram sacrificans, sacram hostiam, è Christi, quam videbas, manu accepisti, ab omni carnis inquinamento deinceps illæsus usque ad mortem.

s. Fidole Abba, qui per Quadragesimam, pane

modico, & frigidâ cinere mixtâ, contentus jejunâsti; cæcis, surdis, claudis, & quodam rabido persanato mirabilis.

S. Domnole Episc. quo orante, sæcularis, bona Ecclesiastica usurpans, morte repentina extinctus est; qui concionibus, ac cæcis, & aliis persanatis, pauperibus tuæ mensæ semper adhibitis, magnus, tuos ad sancta hortatus, sanctè in Domino obdormivisti,

Beate Simon Stock.

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 229.

S. MARIA, *quæ hodierno tuo* B. Simoni *singulare tuum erga tuos clientes, ne pereant, & ut à pœnis purgatorii citiùs liberentur, præsidium declarâsti. Fac, ut illa merear solidè quæ illi diceris promisisse!*

S. *MARIA, quæ anno.*1634. *supra obsessam, per plures hebdomades, ab hoste hæretico Vberlingam, fidelem tuo Ferdinando II. civitatem sublimis in nubibus, à civibus es conspecta: & hostis, re infectâ, hoc die obsidionem solvit; civitas verò votum exsolutura, ductâ publica supplicatione, ad tuum in Eremo Helvetiæ sacellum profecta est. Tuere me, Domina, contra hostem, sive dæmon ille sit, sive homo. Ne me expugnari sinas, Fac me inexpugnabilem à tuis, ac meis hostibus, ô MARIA, fac vivere, ac mori gratum tibi!*

17. *Maji.* 16. *Kal. Iunii.*

SAncte Torpes, è Neronis aula, sanguine tuo aulæ Dei adscripte Martyr, qui vitream Neroniani cæli machinam fregisti orando; cujus, post varia tormenta, & mortem, cadaver Angelus navicularius

larius in Hispaniam navi vexit. Instrue me aulæ cælesti, sancte aulice, ne mihi cælum fragile, & vitreum in terris quæram; sed æternum in Deo mihi cælum ita vivendo ædificem, ut animam meam, post mortem meam, cælo invehat sanctissimus Angelus custos corporis & animæ meæ. Amen.

S. Restituta Virgo, quæ in naviculam, pice, & stupâ refertam, ut in mari combureréris, imposita, immisso igne, cùm in incensores flamma converteretur, tu Dei gloriam prædicans, cum Angelo collocuta, inter orandum abiisti ad Deum, & corpus tuum ad insulam, ab Angelo, navi delatum est.

Sancti Heradi, Paule, & Aquiline, & duo alii Martyres.

Sancti Solochane, & socii Martyres, milites.

Ss. Adrio, Victor, & Basilia, Mm.

S. Bruno Episc.

S. Paschalis, cujus anima visa est in curru igneo in cœlum rapi.

S. Eupuria V. M. cujus die festo maris aquam dulcem factam fuisse plures experti sunt.

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 129.

S. MARIA *Silvaducensis, cujus hodie celebris dies est à duabus puellis, ad vitam à certa morte revocatis. O præses vitæ meæ! doce me ita vivere, & mori, ut resurgam in judicio felix!*

18. *Maji.* 15. *Kal. Junii.*

BEatissime Felix, Capuccine, qui cùm ad sacrificium Missæ abires, pecus tuæ curæ commissum Angelus custodiebat, donec redires. Qui cùm ab

omni cœnâ quotidie abstineres, tribus in hebdomade diebus, ad reficiendas vires, non nisi panem & aquam admittebas; ad brevem, trium duntaxat horarum, somnum asseribus & storeâ, pro cervicali trunco tantum contentus; ac te, singulis noctibus, ter flagris inclementer cædens, qui per quadraginta annos, cùm ad eleemosynas pro cœnobio corrogandas exires, dicebas socio, ut Coronam Deiparæ in manu, oculos in terra, mentem in cœlo haberet, qui in defunctorum tuorum Fratrum religiosorum ossuaria te flagellans, illos, quasi prælio gloriosè jam defunctos, allocutus te ipsum ad illorum imitationem excitabas; cujus familiaris Deo Jesu, & MARIÆ Matri animi, in Jesu sinum recepta est, Felicissime Beate, doce me ita à te, aliisque sanctè mortuis, discere vivere, ita spiritui carnem subigere, ita in Jesu & MARIÆ sinu habitare, ut migrantem hinc animam meam non in Abrahæ, sed in JESU & MARIÆ sinu Angeli deponant. Amen.

S. Dioscore, qui post effossos ungues, latera lampadibus inflammata, ministris cœlesti lumine prostratis, ardentibus tandem exustus laminis, martyrium consummasti.

S. Venanti, quindecim annorum adolescentule, unà cum decem aliis Martyribus ab Angelo candidâ veste indute.

Sancti Felix, & Potamion Episcopi, Martyres.

Sanctæ Thecusa, Alexandra, Claudia, Faina, Euphrasia, Matrona, & Iulitta Virgines, Martyres omnes, lapidibus ad colla ligatis, in paludem mersæ.

S. Theo

s. Theodore, qui dum s. Thecusæ amitæ tuæ, & sociarum *Martyrum* reliquias colligeres, sævissimè laniatus, per gladium martyrio coronatus es,

s. Erice Rex, in cujus loco, quo in pugna cecidisti, fons medicus ægrorum erupit, cujus etiamnum asservatur cilicium, tuo sanguine purpuratum.

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 229.

s. MARIA, *quæ* B. Felici *tuum Filium in sinu collocasti, & morientem ad cœlum invitasti. Fac ut* JESUM *ita ardente sinu accipiam semper in Eucharistia quasi tuum verè Parvulum in cor mihi tu ipsa porrigeres!*

19. *Maji.* 14. *Kal Junij.*

SAncte Petre Cælestine, qui, inter prima infantiæ verba, dicebas matri: *Volo esse bonus servus Dei*; quem ad scholas missum esse, gloriosus è cœlo parens laudavit; cui in studiis JESUS è Cruce se magistrum, *Angelos* verò morum, & studiorum præceptores dedit, qui etiam te fortè deerrantem plecterent, quem oculis, ac aliàs ægrum MARIA sanavit: qui orando consopitus, *Angelorum* Sanctorumque agmen, & in singulorum ore singulas rosas rubras vidisti, cœlesti quoque musicâ recreatus; quem Abbas mortuus, à te consultus, hortatus est, ut divinum sacrificium cum reverentia celebrares, & Christus monuit, ne ab eo celebrando abstineres, ob eas sordes, quæ, in somno, etiam castis corporibus possunt animo invito accidere: cui & studenti, & demum post abdicatum, singulari omninò exemplo, Romanum Pontificatum, morienti, An-

geli applausêre, teque ad magistrum Jesum, ac MARIAM duxêre, cujus animam cùm in cœlum ferre videret quidam, peteretq; consilium, *quid sibi agendum esset*; ei sanctum silentium suasisti. Doce me tacere ac loqui, doce orare. Ora pro me, ut magistro Jesu ac Angelis bonis ita obediam, *ut sim bonus Dei servus.* Ita à magistro meo Jesu sciam vivere, ac mori, prout ille me è cathedra Crucis docuit vivens, & moriens. Amen.

s. Pudens, Romane senator, qui ab Apostolis baptizatus, innocentiæ tunicam, ad vitæ usque coronam, immaculatè custodivisti.

s. Pudentiana Virgo, s. Pudentis filia, quæ opes tuas omnes Martyrum, ac pauperum obsequiis impendisti.

Sancti Calocere, & Partheni, primates aulici, Martyres.

s. Pilotere Martyr.

s. Cyriaca, cum aliis quinque Virginibus, Martyr; quæ dirè laniata, igne tandem cremata es.

s. Dunstane Archiep. pia musicæ arte præstans, cujus cithara divinitùs ultrò sonans, hæc verba reddebat: *Gaudent in cœlis animæ Sanctorum, qui Christi vestigia secuti sunt!* qui orans, Patrem tuum, & matrem, postea & amicum, in cœlo gaudere vidisti: cùm Religiosus otium fugeres, & in cubiculo laborares, Angelos psallentes audisti; qui sanctos Petrum, Paulum, Andream, gladiis, aureo charactere inscriptis, armatos vidisti; Andrea etiam canente: *Tollite jugum meum super vos, & discite à me, quia mitis sum, & humilis corde, & invenietis requiem animabus vestris*, qui Regi Deo, nuptias in

cœlo

cælo celebranti, canere jussus, cum nescires, hæc ab Angelo canere didicisti: *O Rex gentium, dominator omnium, propter sedem majestatis tuæ, da nobis indulgentiam, Rex Christe peccatorum. Alleluja!* à quo ejectos Clericos parum pudicos, cum Rex restitui peteret, Crucifixi imago tibi respondit: *Non fiet, non fiet. Iudicastis benè, mutaretis non benè*, qui Angelorum, & Sanctorum omnium choris præsens, Mariam etiam, cum Virginum choro, ad templum ducem, & comitem habuisti: qui à Cherubinis, & Seraphinis, auro coronatis, ad cœlum invitatus, *sabbato* moriens, visus es, una cum lectulo, ferri in cœlum: qui negligenti, tepido, & è religione fugam meditanti Religioso, post mortẽ apparuisti, atque dixisti: *Vis deserere matrem tuam? Ego tali viâ non perveni ad Deum.* Doce me orare; excita me à torpore; ut eâ viâ, quâ tu, quâ Sancti reliqui, ad cœlum prveniam.

S. Ivo, qui per septem dies continuos orasti, nil comedens, qui aquas signo Crucis divisisti; viduarum, pupillorum, & pauperum sancte ac ingeniose advocate; Jurisconsultorum, ac Iudicum, ni perire velint æternum, exemplar; qui orando panes auxisti; energumenos, & ægros curasti; incendium extinxisti; aquas, ut per illas medius cum famulo ire posses, divisisti; Angelum, in specie pauperis, pavisti.

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 229.

S. Maria, *quæ* S. Petrum Cælestinum, *una cum* S. *Ioanne Evangelista, visisti, dum librum lectitaret. Doce me ita sancta legere, ut ea legi à me tu vis!*

20. *Maji.* 13. *Kal. Iunii.*

SAncte Bernarde Senensis, Marianis imaginibus devotissime, cujus præsentia obscena loquentium linguas compescuit; cujus colloquia, corda accendebant Deo; cui coronam Beatissimæ Virginis, corde attento, sanctè recitanti MARIA adfuit & dixit: *Bernardine devote mi famule, multùm in hac mihi devotione complacui*; cui de sanctissimo JESU nomine ad concionem dicenti, illustre, solis instar, JESU nomen super caput apparuit: qui aquas pede sicco calcasti, pallio super illas expanso vectus; super cujus de *B.* Virginis laudibus dicentis caput; stella in os tuum radios vibrans, conspecta est: qui adolescenti splendido, sed lascivo, in æde sacra fœminas oculis venanti ex vero prædixisti, eum infami morte exturbandū è vita: super cujus cadaver, in alto stella illustris apparuit. Impetra mihi JESUM solem, & stellam MARIAM. Ora, ut & ego duobus his *JESU & MARIÆ* nominibus devotissimus ita loquar cum Deo, mecum, & cum proximo, ita JESU serviam, *MARIÆ* semper, ut me in morte non pœniteat vixisse, Amen.

s. Basilla Virgo regia, gladio transverberata, Martyr.

s. Baudeli M. cui benedicens Domini manus conspecta est; quo, pro fide, moriente Angeli cecinêre; lac è vulneribus sanguinis loco fluxit, & tumulo laurus foliis ægros sanantibus mira excrevit.

Sancte Thalalæe, è medico Martyr, qui in mare projectus, inde prodiisti niveâ veste ornatus; ac de

demum, nec à feris læſus, caput pro Chriſto dediſti.

Ss. Aſteri, & Alexander, MM.

s. Aquila Martyr, pectinibus pro Chriſto dilaniate.

Ss. Anaſtaſi, & Theodore Epiſc.

s. Auſtregiſile Ep. ab Angelo de morte admonite.

s. Plautilla, B. Flaviæ Domitillæ mater, à ſancto Petro Apoſtolo baptizata.

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 229.

S. MARIA, *qua ſanctum tuum* Andream de Chio, *inter novemdialia, hodie cœpta, eaq; graviſſima tormenta clamantem:* Virgo Maria, adjuva me! *fortiſſimè roborâſti: quicquid fecero, quidquid paſſus fuero vivens, & moriens:* Virgo Maria, adjuva me!

22. *Maji.* 12. *Kal. Junii.*

S. Hoſpiti, qui in altæ turris carcere, ferro, & ſcaturientibus è corpore vermibus, plenus, orabas ſemper; qui rigidam, obtruncaturi te barbari, dexteram ſigno Crucis ſanâſti, pluresque ad Chriſtum adduxiſti; cui morituro vermes illi fuêre ſolatio, & ſtimulo ad amorem Dei. Simul verò ut anima corpus deſeruit, ſimul evanuêre etiam vermes. Ora, ut ſciam & ego uti doloribus, ad amorem Dei: ſint dolores corporis mei, pretioſæ coronæ animæ meæ. Creſcant dolores, creſcat Dei amor: ut ſic per dolorem, & amorem, ita ad mortem perveniam, ut locum illum, ubi nullus erit amor, ſed æternus dolor, evadam; ad illum verò perveniam, ubi nullus erit dolor, ſed amor æternus. Amen.

San-

Sancti Timothee, Poli, & Eutychi, Diaconi Martyres.
Sancti Polyeucte Victor, & Donate, Martyres.
Sancte Secundine, Synesi, & Theopompe, Martyres.
Sancti Nicostrate, & Antioche, cum aliis militibus, Martyres.
S. Valens, cum tribus pueris, necate Episcope.
S. Secundine Presbyter, & alii Martyres, ipsis sacris Pentecostes diebus occisi.
Sancti Episcopi, & Presbyteri, pro fide Catholica exules.
S. Itisberga V. Caroli Magni soror.
OMNES SANCTI, &c. pag. 229.
S. MARIA, *qua servum tuum* Godericum *orare, & cantare docuisti, cùm aliquid pateretur: fac, ut lætus, libenter patiar, quæ Deus vult!*

22. Maji. 11. Kal. Junii.

SAncte Basilisce miles, qui cùm erubesceres, quòd plura pro Cæsare, pro Christo nullum tulisses vulnus, cognato Theodori Martyris exemplo animatus, à Christo visitatus, & ad pugnam admonitus; Postea ferro solatus, penetrantibus plantas clavis, cum quadrigâ cucurristi, & redditâ emortuæ arbori vitâ, evocato è terra salutari fonte, è cœlo fulminibus contra delubra impetratis, caput pro Christo dedisti. Accende me exemplis tuis, sicut tu accensus es alienis. Ora JESUM, ut & mihi det illam patiendi sitim; ut me ad certamen mortuale accingat, animet, juvet; ut ille in me pugnet, vincat, ac æternum triumphet Deus, Amen.

San-

Sancti Faustine, Timothee, Venuste, Martyres.

Sancti Caste, & Æmili, per ignem Martyres, primùm supplic[illegible]s victi, secundò victores.

s. Ausoni Episc. M. qui decisum tuum caput, manibus, ad locum, in quo es conditus, detulisti.

s. Aigulphe Ep. M. in solitudine, cervæ, ad te statis horis venientis lacte nutrite.

s. Julia Virgo, crucifixa.

s. Quiteria Virgo M. quæ abscissum tuum caput aliò deportâsti; cui Angelus sæpius benedixit.

s. Joannes Abba, amice pauperum, carnis hostis: qui multos refecisti vino modico, in lagena nil deficiente, licet multis inde bibentibus: qui Arnum fluvium tumentem, sine navigio, superasti, mulierculam à Deo, ob verba contra te impudenter effusa, gutturis dolore punitam, illicò persanasti: qui in morbo ultimo à gloriosissima Virgine visitatus, illi animum dedicasti.

B. Humilitas Vidua, quæ cuidam, peccatum in confessione tacenti, cordis arcana revelasti; & celebraturo sacerdoti, ut conscientiam à peccato mortali elueret, persuasisti; s. Joanni Apostolo familiaris usque ad vitæ finem; quæ cuidam mortem prædixisti, & ut se ad illam componeret, monuisti.

s. Marciane Episc.

s. Joatha, rotâ lacerate Martyr.

B, Romane Abba.

s. Fulce Conf.

B, Helena Virgo.

B. Rita Vidua, à s. Joanne Baptista, & Ss. Augustino, ac Nicolao Tolentino, ad cœnobium sancti-

mo-

monialium s. Augustini miro cœli favore & modo perducta: in cujus orantis frontem, è Christi cruci affixi fronte spinis coronatâ, radius lucis, & in splendore illo spina una descendit, ac perpetuum tibi vulnus inflixit: pro qua ægrâ, in Januario, recentes in horto rosæ, ac ficus repertæ sunt, cujus corpus hoc die, quotannis, per annos plures divinitùs, ad summam tumbæ tuæ oram elevari, & elapso festo tuo die, iterum ultrò ad ejusdem conditorii, seu loculi fundum demitti conspectum est.

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 229.

S. MARIA, *cujus honori* Constantinus *M. Imp. hodie mortuus, nullis sumptibus parcens, plurimas in diversis provinciis Ecclesias extruxit. Hanc mihi ô gloriosa Domina à filio tuo gratiam exora, ut vires ego & facultates omnes ad promovendam gloriam tuam, animo liberali semper impendam!*

23. *Maji.* 10. *Kal. Iunii.*

SAncte Desideri Episc. qui, quòd Reginæ impuritatem corriperes, contumelias, & exilium passus ibi miraculis clarus tandem à Christo ad martyrium animatus; pro percussoribus orans, crudeliter occisus, plurimis postea miraculis claruisti; Regina verò suis voluptatibus fœdâ morte finem imposuit. Intercede & pro me ut nullus humanus respectus me ab æternis abducat. Alta illa & maxima Dei principia, seu axiomata æternitatis, mihi imprime; ut illorum ductu ita semper agam in omnibus, ut me, post vitæ meæ finem ad altissimum, & maximũ optimumq; rerum omnium principium

De-

Deum deducant. Amen.

S. alter Desideri Ep. qui pro tuis obvius, ab exercitu vastatis, supplex, gladio percussus es.

Ss. Epitaci Ep. & Basille MM.

Sancti Quinctiane, Luci, & Juliane, Martyres.

Omnes sancti Martyres, hodie confractis cruribus necati.

S. Leo Abba, Cœlitibus familiaris, quem noctu orantem sancti Hilarius, Martinus, & Anianus invitarunt ad beatam æternitatem, felici morte, post triduum adeundam.

Omnes sancti Martyres, hodie appensi pedibus in sublime, fumo suffocati, & lento igne consumpti.

Sancti Michaël, Mercurialis, Euphebi, Episcopi.

Sancti Eutychi, & Forenti Monachi.

S. Guiberte, è probo ac nobili milite religiose cœnobii Gemblacensis Fundator; qui multos ex Hungaris, tunc adhuc gentilibus, istic ubi tu eras, omnia latè vastantibus, ad fidem convertisti.

S. Bobo, qui victoriam de hoste, ope sanctorum Petri & Pauli, retulisti gloriosam, cujus ossa, stellâ & effusa luce, honoravit cœlum.

OMNES SANCTI, &c. *pag. 229.*

S. MARIA, *quæ ab hodierno tuo* Guilielmo *visa es Filio irato supplex; ut parceret propter amicos tuos. Placa illum & mihi, ac impetra, ut illius misericordiâ benè utar!*

24. Maji. 9. Kal. Junii.

SAncte Simeon Stylites junior, cujus sanctitatem s. Joannes Baptista è cœlo prædixit; qui sexennis etiamnum parvulus, à familiaribus tibi Cœlitibus, & colloquiis, nectare pastus es; orandi, ac jejunandi jam tum studiosissimus; cui & leopardus, & leo obedivêre: qui tandem gloriosa in columna statione peracta quievisti, & jam stas in conspectu Dei. Hanc mihi tu stationem illic procura. Ora, ut hic ita stem, ut videam ne cadam; ut me oratione, ac jejunio familiarem reddam Cœlitibus, quorum & solatia, & nectar in morte prælibem, & post mortem illis æternùm fruar. Amen.

s. Manahen, Doctor, & Propheta.

B. Joanna, uxor Chusæ, & procuratoris Herodis.

s. Vincenti M.

s. Afra M.

BB. Donatiane, & Rogatiane, fratres, in equuleo suspensi, laniati, lanceâ militari confossi, præcisis capitibus Martyres.

Sancti Zoëlle, Servili, Felix, Silvane, Diocles, Martyres.

s. Meleti, Dux exercitûs, ac socii ejus ducenti quinquaginta duo Martyres.

s. Susanna, Marciana, & Palladia, vestros conjuges Martyres secutæ, unà cum parvulis confractæ.

s. Robustiane M.

s. Vincenti Presb.

s. Ser-

s. Servule Tergestine Eremita, & Martyr, à cujus halitu serpens crepuit.

s. Elpidi Ep. qui solo aliquando aspectu ægros, & energumenos persanasti: de quo dæmones dicebant: *Juxta Elpidii cellam, ne transeamus, ne torqueamur.*

s. Dominice, Ordinis Prædicatorum Patriarcha, hodie translate.

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 229.

S. MARIA, quæ hodie inter Sanctos adscripto S. Bernardino Senensi *Coronam tuam recitanti, adfuisti, teque ipsi pro illa pietate, quadam singularia impetrasse dixisti. Ora, ut bene semper orem!*

S. MARIA, ad cujus imaginem supplex hodie Andronicus senior *Imperator, ab hominibus jam desertus, à victore hoste nil passus est. Defende me ab hostibus; defende me à me ipso!*

25. *Maji.* 8. *Kal. Junii.*

SAncte Muti, qui, cùm per quietem ostensum tibi scelerum tuorum indicem, & Judicem, ac horrendas æternum, nisi citò resipisceres, pœnas vidisti è latrone sanctus esse, ab ipsis, qui tibi se magistros dederunt, Divis Cœlitibus didicisti. Aliorùm verò deinceps magister factus, cuidam, ad mortem necdum parato, præparationis triennium impetrasti: cui per hebdomadam totam jejunanti, diebus Dominicis mensam ipse Angelus præparabat. Impetra mihi lumen illud, in quo peccatorum atrocitatem, judicem, supplicia videam, doleam, emendem; ne imparatus hinc abripiar! Sed cùm optimè ad mortem

tem paratum viderit, tunc me ad se venire jubeat æterna vita mea, Deus meus. Amen.

s. Urbane Papa, cervice abscissa M.

Sancti Pasicrates, Valentio, & alii duo Martyres.

s. Dionysi Ep. pro Christo exul.

S. Luciane, quem S. Gamaliel à somno, aureâ virgâ & his vocibus, excitavit: *Luciane! Luciane! Luciane!* Tum quatuor tibi calathos, unum argenteum, ac tres aureos, rubris rosis unum, duos albis plenos, quartum croco refertum ostendit; & ex illis calathum unum sancti Stephani martyris, alterum Nicodemi, tertium suum, quartum Abibi sui filii esse dixit, teque ad honorandas Cœlitum reliquias est hortatus.

B. Aldelme Ep. qui novem tantùm dies nati infantis, loqui jussi, testimonio, fœdam Pontifici inustam infamiam diluisti; carnem tuam aquæ, ad humeros usque, immersus, accerrimo frigore afflixisti.

s. Bonifaci Papa quarte, qui omnium Deorum Pantheon Deo, in Beatissimæ Virginis MARIÆ, & omnium Martyrum honorem, dedicâsti.

s. Cani Ep. M mirabilis, cujus anima, columbæ instar, ab Angelis in cœlum ferri est visa.

s. Geri, cui serpentes panem innoxium porrexêre; super quem, dum æger decumberes, tanta è cœlo lux effusa est, ut domus ardere videretur.

s. Gregori Papa VII. Ecclesiasticæ libertatis acerrime propugnator: qui olim adhuc puer & literarum rudis, è lignorum sarmentis literas in hæc verba composuisti: *Dominabitur à mari usque*

ad

ad mare; cujus incruentum sacrificium celebratis, dextro humero columba conspecta est insidere.

s. Zenobi Ep. qui castâ modestiâ spectabilis, ne semel quidem effusè ridere es visus: qui signo crucis paralyticum sanitati, mortuos vitæ reddidisti, cæcos illuminasti; sancti Ambrosii animam, pro Florentinis tuis orantem, vidisti. Ora pro me, unà cum sancto Ambrosio, ut vivam, & videam in lumine viventium.

s. Leo, qui visis tribus viris splendidis atque psallentibus, ad cœlum invitatus, impetrato vitæ triduo, felix migrasti, fac, ut ita vivam, atque si scirem, non nisi triduo me victurum.

s. Francisce, hodie translate.

s. Maria Jacobi, hodie translata.

B. Magdalena de Pazzis, JESU, MARIÆ, Angelis, Divis Cœlitibus, familiarissima Virgo; quæ à Christo, & Beatissima Virgine, plurima, etiam examen conscientiæ facere didicisti; ostensam tibi in cælo B. Aloysii Gonzagæ gloriam vidisti; jussi tibi à Beatissima Virgine, de *Humilitate* loqui. *S. Ignatii Loyolæ*, è cœlo te visentis, exhortationem audisti, divini amoris arcana stupenda vidisti: & tamen ante mortem, de æternitate solicita, conscientiæ tuæ arbitro dixisti: *Pater, putasne me salvandam?* & actis Deo tenerrimis gratiis, quòd te mori voluerit desolatam, pretiosam animam amantissimo Crucfiixo morte pretiosissima tradidisti.

OMNES SANCTI &c. *pag.* 229.

S. *MARIA*, *de qua hodierna Beata* Magdalenæ *Florentina dixit Deus*: Mater Unigeniti mei erit custos tua; *qua S. Ignatium è cœlo ad eandem, ut ad*

ille

illam de humilitate sermonem haberet, misisti ; & qua illam consilio, visitatione precibus mirè custodisti : custodi me in vitam æternam!

S. MARIA, *cujus imago S.* Gregorio VII. *Papæ orarati arridere lacrymanti collacrymari est visa; quæ illum deinde à febri curasti. Doce me orare, ac flere sanctè: extingue in me calores febris noxiæ, si qua fortè serpit, & tacitè exurit animam meam.*

26. *Maji.* 7. *Kal Iunii.*

SAncte Philippe Neri, cujus à divino amore crescens cor, majus in pectore spatium per miraculum obtinuit, sui *S. Ignatium*, vultu radiantem; qui plures animas, splendore circumfusas, in cœlũ abeuntes, & MARIAM, ac *Angelos*, sæpius vidisti, & nunc illam semper vides, dulcissimâ morte ereptus terris! Utinam ad sanctum illum amorem erudias rude hoc cor, ut amet omnia, quæ amat Deus ; ut felici morte hinc emigrantem animam meam, illuc, ubi tu es, videas ascendentem Amen.

s. Eleutheri Papa, Martyr, conversis plurimis gloriose.

s. Simitri Presbyter; & alii viginti duo *Martyres*.

s. Quadrate Episc. doctissime Apostolorum discipule.

s. Zacharia Ep. qui pluribus conversis; irrisis, ac destructis idolis, crudeliter percussus; & clamans, *Domine, ne statuas illis hoc peccatum?* lapidibus obrutus es.

s. Quadrate M.

Sanc-

Sancti Feliciſſime, Heracli, & Pauline, Martyres.

s. Priſce, cum ingenti fidelium multitudine, M.

s. Lamberte Ep. virginitate, jejuniis, pſalterio, per totos triginta annos, quotidie recitato, aquâ ter in vinum conversâ, cæcâ illuminatâ, & multis aliis miraculis, poſt mortem etiam, admirande; doce me orare.

s. Auguſtine Epiſcope, *A*ngelorum Apoſtole.

OMNES S*A*NCTI. &c. *pag.* 40.

S. MARIA, *quæ infirmum* s. Philippum Nerium *viſitaſti; ac ab eodem conſpecta es, tenere trabem templi, ne corrueret. Viſita ſpiritum meum, hinc migraturum. Tene me in periculis prolapſionis; ne corruam!*

27. *Maji.* 6. *Kal. Iunii.*

SAncta Reſtituta Virgo, quæ malum genium fugaſti; bonis *A*ngelis, & domi, & in itinere, & inter tormenta, & in carcere, familiaris: quæ ſcorpionibus, pro Chriſto, immaniſſimè excarnificata, dulciſſimè cecinisti; totam hebdomadam clauſa, ſine cibo, vixiſti cum Angelis; & jam vivis gladio cæſa, viveſque ſemper! O fac mihi dulcia omnia, quæ Dei ſunt! Fuga à me, & nunc, & in hora mortis potiſſimùm, malos genios, & bonos in vita: ut cum his, & tecum, apud Deum noſtrum, non Angelicam unam hebdomadam, ſed æternitatem totam vivamus in cœlo unà poſt mortem, Amen.

s. Joannes Papa M. quem qui ſemel portavit equus, ut poſtea fœminam portaret, adduci non ſpo-

cuit; adeòque rogatus es, ut equum illum dono acciperes, qui in aurea Constantinopolitanæ Urbis portâ cæco lumen, coram omni populo, reddidisti.

s. Ranulphe Martyr.

s. Iuli, veterane miles M.

s. Eutropi Ep.

Venerabilis Beda, Presb. doctissime, qui moriens cilicio indormisti.

B. Theobalde, qui arenam in farinam convertisti; cui campanæ, sponte sonantes, & collucentia è cœlo lumina, parentârunt.

s. Bruno Ep. Conradi, Carinthiæ Ducis fili, templorum ædificatione magnifice; cui divinis operanti S. Ambrosius apparuit, ac monuit, ut Imperator ab Urbis Mediolanensis obsidione desisteret, alioquin graviora, quàm passus fuerat, perpessurũ.

OMNES SANCTI, &c. *pag. 229.*

S. MARIA, *cujus imago in hodierni sancti Joannis I. Pont. Max. manibus, à Seraphinis est deposita & eo die pestis Roma cessavit. Mitte Angelos tuos qui te in corde, ac manibus meis collocent; ut bene faciam, quicquid ago; Fuga à me occultam etiam pestem omnem!*

28. *Maji.* 5. *Kal. Iunii.*

SAncte Germane Episc. eleemosynis, & miraculis magne; qui domum viri just ingrediens, visus es facie radiis, velut cornibus, illustri, Moysis instar, collucere: quem quia diutiùs ad portam suam præstolari passus est Clotarius Rex, in pœnam, febre correptus, ab illa tamen pallii tui osculo sanatus est; qui orando morbos, ursosque fugasti, ac dæmones

nes; ignem extinxisti mortuos suscitasti;& mortis semper, maximè cum ad lectum ires memor;lecto supremum diem tuum inscripsisti vates: *V. Kal.Iunias*;quo ipso die tibi morienti dies æternitatis est ortus. O sim & ego ita mortis memor semper,ut & vigil, & dormiens, paratus sim semper ! nec peto scire,quando moriar, nisi id velit Deus; sed ut sanctè moriar hoc peto,& tu id roges, ac impetres,rogo. Amen.

Sancti Æmili, Felix, Priame,& Lucrane,Martyres.

s Caraune M.capite cæse;qui decisum caput tuis ipse manibus ad tumulum detulisti;in cujus pervigilio, aridus aliàs, fons in salubres ægris aquas erumpit.

s. Helconides M. multis sæpe tormentis cruciata,ab Angelo liberata, lacerato pectore, feris objecta, in ignem projecta, capite truncata.

Sancti Crescens, Dioscorides,Paule, & Helladi. Martyres.

Ss. Martyres monachi Palæstini.

s. Senator Episc. virtutibus ac eruditione præclare.

Sancti Juste, & Prodi. Episcopi.

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 229.

S.MARIA, cujus imaginem semper secum gestabat contra hostes victor, Scriptor tuus, S. Germanus : *dignare me laudare te, amare te, in corde gestare te, vincere in te !*

29. *Maji* 2. *Kal. Iunii.*

SAncte Andrea de Chio, castissime, & plenè MARIAne Martyr, quem febrientem sanavit MARIA; qui tota novem dierum carnificina, pro Christo, flagellis, uncis vexatus, carne ad ossa usque exutus, nil in ore sæpius habuisti, quàm *MARIA juva me, juva me MARIA Virgo*! nullo interea signo doloris edito. Postea integrè divinitus persanatus gladio percussus es. Per hos ego te dolorum tuorum agones, & per tuam ac meam, Deiparam Virginem rogo, adsis mihi inter dolores agonis mei, mortis meæ. MARIA *Virgo juva me, juva me*, MARIA *Virgo! Amen.*

s. Canon, quiunà cum filio, duodecim annorum puero, craticulæ suppositis prunis impositus, oleo bulliente perfusus, in accensa fornace, velut in horto, unà cum filio, inambulasti; & cum eodem, subjectis flammis, in equuleo suspensus, contrita ligneis malleis utraque utriusque manu, uterque inter canendum, accinentibus Angelis, spiritum emisistis.

Sancti Sisini, Martyri, & Alexander. Martyres.

s. Restitute M.

s. Theodosia, mater sancti Procopii Martyris, unà cum duodecim aliis matronis nobilibus, Martyres.

Omnes sancti mille quingenti viginti quinque Martyres in Umbria.

s. Maximine Episc. qui longa febri, ad mortem usque. confecto Carolo Principi apparens, illum à

mor-

mortis periculo, ac morbo liberasti: ad cujus sepulchrum, præter ægros sanatos, uno die, tredecim obsessi, alio viginti duo, alio quinquaginta septem, à dæmonibus sunt liberati: qui in mari periclitantibus, solis instar, splendens, & super mare ambulans, apparuisti, & mare tranquillasti, libera me à morbis, à doloribus, & dæmonum insidiis, à naufragio abyssi, ac fluctuum æternorum.

s. *Maxime* Ep.

s. Gaudenti Ep. Principe stirpe nate, Hungarorum Apostole, sancte Adelberte comes.

s. Eleutheri Conf.

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 229.

s. MARIA, *cujus* ardentium *festum, & cerei mirabilis à te contra pestem, dati, memoria hoc hic celebratur Atrebati: fac me unum è numero tuorum ardentium. Tu sis mihi pro ardente, ac illuminante me cerea in hora mortis meæ!*

S. MARIA, *cujus* miraculorum festum *celebrat hodie devota tibi sancti Benedicti familia. Gratias ago Deo pro omnibus quæ per te patravit, miraculis! Fac, ut etiam ego experiar admirabilem opem tuam, in hora mortis meæ, ô Mater admirabilis?*

30. *Maji.* 3. *Kal Iunii.*

SAncte Isaaci, qui in dumeta abjectus, inde à tribus Cœlitibus sublatus, iterum Valenti Imperatori veritatem invito dixisti, & mortem verus vates prædixisti; cui morienti cœli portas aperuit Deus Hæreo hic ego; neque scio, quando ex his vitæ dumetis eripiar. Adesto tunc mihi, ad portas mortis

ut ſicut hic, tibi oranti, quoties libuit, portæ Urbis patuerunt, ita mihi morienti, per tuas & Sanctorum omnium preces, pateant portæ æternæ civitatis Dei. Amen.

s. Felix Papa Martyr.

s. Exuperanti Episc.

Ss. Gabiane & Criſpule. MM.

Ss. Syre & Palatine, Martyres.

s. Anaſtaſi Episc.

Ss. Baſili, & Emmelia conjuges; ſancto Baſilio Magno filio magni, pro Chriſto exules.

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 229.

S. *MARIA, quæ à* Jacobo *hodierno cliente tuo conſpecta es librum coram iis, qui ad concionem dicebant, tenens, & aliàs illos docens. Tu libros quos lego, verba, quæ dico, vel audio, tu guberna: ut pia lubens legam, loquar, audiam; ita prout me id facere vis!*

31. *Maji, pridie Kal. Iunii.*

SAncta Petronilla, s. Petri, poſtea Apoſtoli, filia, cui, inter omnes dolores, gratias agenti, febres, & paralyſim corporis, pro ſalute animæ, imperavit ſanctus parens; quæ tandem ſanata, etiam alios ſanâſti; & recuſato illuſtriſſimo matrimonio, cùm ſemper aliàs, tùm ultimo vel maximè triduo, precibus intenta, accepto ſacratiſſimo Euchariſtiæ epulo, expirâſti. Ora pro me, ſanctè ægra Virgo, ut animæ meæ nulla in re impedimento ſit corpus, ſed adjumento; ut tandem, dum anima hæc mea hoc corpus, per mortem, deſeret, ita deſerat, ut ubi ad illud, in reſurrectione, redierit, unà cum

cum illo resurgat in vitam æternam. Amen.

Sancti fratres, Canti, Cantiane, & Cantianilla, ex illustri prosapiâ, pro Christo, unà cum Proto pædagogo vestro, Martyres, capite plexi.

s. Crescentiane M.

s. Paule, cum sociis M. qui quotidie centum quinquaginta psalmos recitâsti, ut Jesus te, socios, & amicos, ab ignis, à luxuriæ, à gehennæ, incendio liberaret.

s. Hermia miles, qui innumeris ac sævissimis tormentis cruciatus, unà cum converso, tuis exemplis ac verbis, carnifice, gladio es obtruncatus.

s. Lupicine Ep.

s. Paschasi Diacone, cujus dalmaticam feretro impositam ubi dæmoniacus tetigit, sanatus est: qui tamen horrendas purgatorii, pœnas aliquamdiu passus es, quia partibus Laurentii, contra Symmachum, in electione Pontificis, adhæsisti; quare à Germano Episcopo orationes, & sacrificia petiisti.

B. Jacobe Venete, qui, cùm in Novembri, in Beatissimæ Virginis, & Sanctorum patronorum tuorum Ascidi & Victoris, honorem Officium recitares, recentem rosam tulisti, cujus crebra fuêre suspiria dicentis: *Felix lingua, quæ non novit nisi de divinis texere sermonem*! qui cùm ultimis quatuor vitæ annis carcinomate fœdo laborares, patientissimus, præviso mortis tuæ tempore, migrâsti felix, & mortuos post mortem excitasti.

OMNES SANCTI, &c. *pag. 229.*

S. MARIA, *cujus hodie festum* de Tolerantiâ, *seu* Patientiâ, *in Gallia celebratur, cùm hodie Rex Galliæ ima-*

imaginem tuam argenteam alterius, à scelerato quopiam truncata loco posuit. Fac, ut quantum te oderunt mali tantum te amem, ac honorem; amemque amantes te, honorem honorantes te, ut moriar morte, ac vivam æternitate amantium, & honorantium te!

ANNI CÆLESTIS.
JUNIUS.

1. *Iunii. Kalendis Iunii.*

SAncte Simeon, solitudinis, orationis, ac jejuniorum studiosissime, è mari, Angeli operâ, erepte; dæmonum, formis plurimis tibi oranti obstrepentium, & illudere, terrere, decipere conantium, victor; qui lucem tibi à dæmone in conclavi immissam ne aspectu quidem dignatus, dixisti: *Mortuo mihi orietur Sol meus*; ac tandem de die mortis à Domino monitus, etiam post mortem in cadavere tuo sudasti. Arma me contra omne id, quod morienti mihi obesse potest ad æternitatem. Ora, ut oratione, ac jejunio ita tentantem omnem hostem semper vincam, ut mihi & vivo, & morienti, oriatur sol meus verus, sol æternitatis sanctæ, lumen gloriæ, dies Dei æternus, Amen.

s. Juventi Martyr.

s. Pamphile Presbyter, Valens Diacone, Paule, aliique novem Martyres.

Ss. Reveriane Episc. Paule, ac alii decem Martyres.

s. Thespesi, post cruciatus alios, decollate.

San-

Sancti Ischyrion, dux militum, aliique quinque milites, MM.

s. Firme *M.* acerbissimis plagis affecte, lapidibus percusse, capite cæse.

Sancti Feline, & Gratiniane milites, Martyres.

s. Procule *M.* qui resectum tuum caput, è terra sublatum, tuis ipse manibus portasti.

s. Romedi, ad quem è vita migrantem, sanctus Vigilius campanæ, divina manu ter pulsatæ, sono est evocatus.

s. Crescentiane miles, M.

s. Secunde M. in Tiberim projecte.

s. Fortunate Presb.

s. Simeon monache, qui mortem tuam, post centum & quinque dies obeundam, ex vero prædixisti; miraculis deinde ad sepulchrum tuum patratis, mirabilis, ad cujus festi lætitiam volens ire juvenis peccati sordibus; nec ire illuc potuit, nec deferri, peccatorum pondere vires omnium superante; sed peccata dolenter confessus, facili negotio eò, quò hactenus non poterat, ascendit. Expedi me à peccatis, quæ, sicut onus grave, gravata sunt super me, ut amor Dei sit pondus meum, & illo ferar, quocunque ferar!

s. Caprasi Abba, consummatæ sanctitatis vir: cui apparens s. *Michaël* Archangelus, felicem tibi obitum post biduum imminere dixit.

OMNES *SANCTI*, *pag.* 229.

S. MARIA, *cujus* Cordis *festum hodie celebratur: Tibi æternùm consecro meum! Sint* festum cordis

tui *singula hora mea; sint secundùm* Cor *tuum, & cor meum in æternum!*

2. *Junii.* 4. *Nonas Junii.*

SAncta Blandina, quæ à primo manè, usque ad vesperum, usque ad carnificum lassitudinem, cruciata, inter dolores clamabas; *Christiana sum, & apud nos nihil admittitur sceleris.* Deinde à bestiis intacta, verbera, sartagines passa, reti involuta, ab immani tauro exagitata, ense tandem jugulata pro Christo es. O Sancta gloriosa! Ora, ut ita vivam & ego, ita moriar verè *Christianus:* ut *nihil apud me, nihil à me, admittatur sceleris.* Defende me à bestiis inferni, impetra, ne me irretire possit dæmon; ut denique non tradat bestiis meam hanc animam, confitentem sibi, Deus meus. Amen.

s. Marcelline Presb. carceri sine cibo, sine lumine, incluse, & in vitri fragmentis volutate.

s. Petre, ab *Angelo*, unà, cum Marcellino, è carcere liberate; conversis pluribus, unà cum illo capite plexe.

s. Erasme Episc. plumbatis, & fustibus cæse; resinâ, sulphure, plumbo liquefacto, cerâ, pice ferventi, oleoque perfuse, semper illæse, è carcere ab Angelo erepte; iterum, post varia supplicia, areâ tunica candenti indute; ad quem pro nobis, te invocaturis, orantem vox è cœlo audita est dicens: *Erasme, serve bone, quæcunque petiisti accipies: intra in gaudium Domini tui, & epulare cum justis, ac electis Dei in sæcula sæculorum!* Cumque jam prope à morte abesses, audita iterum vox cœlestis, *Erasme*, ajebat

veni

veni & requiesce, & recipe laborem tuum : per te enim honorificatus sum in cœlo, & in terra, ſimulque admirabilem è cœlo tibi obviam coronam vidiſti, ac ſanctorum Apoſtolorum & Prophetarum choros; quando verò moriens dicebas, *Domine* JESU *Chriſte, ſuſcipe animam ſervi tui!* anima tua, niveo candore ſpectabilis, viſa eſt in cœlo ab Angelis deportari.

s. Pothine Epiſc. nonagenarie ſenex, qui multis, ac variis cruciatibus feſſus, in carcere biduo poſt animam efflaſti.

s. SANCTE Diacone, qui, quis, cujas, qualis, eſſes? rogatus, non niſi, *Chriſtianus ſum,* reſpondiſti; & licèt cruentatus totus, laminiſque ignitis toto corpore tortus, pulchrior tamen apparuiſti, & cum S. Maturo neophyto, in ferreis, ignitiſque cathedris frixus, unà cum illo, caput pro Chriſto ſecuri ſubjeciſti.

s. Vetti, cognomento Epagathe, Chriſtianorum advocate, cùm iiſdem, & Ss. Biblide, Attalo, Alexandro, per fortia, & iterata certamina, Martyr.

s. Eugeni Papa.

s. Joannes de Urtica, cui ſanctus Nicolaus, patronus tuus, è cœlo adfuit, ac te ſuum, in beata perennitate, collegam fore prædixit.

s. Nicolae Staurophore, Crucis ſemper bajule, qui moriens Crucem viventibus legaſti.

OMNES SANCTI, &c. *pag. 229.*

S. MARIA, *Silva ducenſis quæ antequam quendam, ſagittà vulneratum perſanares, illi apparuiſti, & monuiſti, ut mores patrocinio tuo dignos indueret. Redde me dignum auxilio tuo ſemper!*

3. *Iunii.* 3. *Non. Iunii.*

SAncti fratres, Pergentine, & Laurentine, qui vosmet invicem, ne præsentia, sed æterna tormenta timeretis, hortati, post jejunium triduanum, in carcere, pane *Angelico*, in cœlesti luce, ab *Angelis* refecti, aperto licèt divinitus carcere, fugere noluistis; & post prunas ignitas, illæso pede calcatas, plurimis ad Christum adductis, suavissimis è cœlo vocibus, quibus ad mortem felicem invitabamini, auditis, illam læti gladio subiistis. *Amem* æterna præ his, quæ ad mortem stulta corda invitant; timeam æterna præ his, quæ hic terrent: & ita ad mortem felicem vitam felicem inviter. *Amen.*

s. Lucilliane post ignes cruci affixe.

Sancti quatuor pueri, Claudi, Hypati, & Paule, & *Dionysi*, qui cum Lucilliano in fornacem injecti, sed flammâ imbre extinctâ, vos gladio obtruncati estis.

S. Paula Virgo, dum dictorum Martyrum sanguinem piè colligeres, comprehensa; virgis cæsa, igni injecta, sed illæsa, tandem decollata.

B. Isaac gladio *M.*

s. Davine Conf.

s. Cæcilli Presb. per quem sanctus Cyprianus ad Christum reductus est.

s. Liphardе, qui orando serpentem immanem crepare fecisti, & magnus vitæ spiritualis Magister ante mortem beatum esse dixisti, qui suffert tentationem; quoniam cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ.

s. Oli-

s. Oliva Virgo, quæ angelum satanæ, qui te colaphizabat, pectore, ferreis aculeis confixo, vicisti, ac posteà, cælis tibi apertis, promicantes indè splendores vidisti; auditâ deniq; Christi voce; *Surge, propera, amica mea*! in familiarem tibi ecstasim abrepta, visâ iterum luce gloriæ, in illam ingressa es.

S. Clotildis Regina, cujus precibus vir stuus, Clodovæus Rex, ad Christum conversus est.

OMNES SANCTI &c. *pag.* 229.

S. MARIA. *quæ scriptis, hoc die, ad* Messanenses *literis, benedictionem illis dedisti, & protectionem perpetuam promisisti, Benedic, & protege me semper; ut sim viva epistola Dei mei! Sim epistola tua, sim civitas tua. Exaudi me Domina, hæc petentem; quia* Mes*sanensis tua, à* S. *Luca picta. ac* à litteris *dicta imaginis vetusta; Græca inscriptio est:* Mater Dei, velox ad audiendum!

4. *Iunii. Pridie* Nonas *Iunii.*

SAncte Quirine Ep. cujus carcerem cælesti fulgore illustravit Deus: qui deinde, Deum è corde tuo nullis eximendum suppliciis, confessus, ab eodem te didicisse dixisti, mortem pro immortalitate contemnere; qui cum fustibus cæderceris, negabas te dolorem ullum sentire; *Vere*, & ajebas, *modò sacerdotio fungor, si me ipsũ Deo vero sacrificium obtulero*, qui in primam Panoniam ductus, ad Præsidem Amantium, cùm ibi Christianæ fœminæ cibum tibi potumque offerent, & tu ab iis oblata benediceres, catenæ de tuis pedibus ac manibus ceciderũt; tu verò, sumpto cibo, *Sabariam* es perductus; ubi ligato ad collum saxo molari, in flumen datus es præceps. Ora pro me, ut me sacrificem Deo meo vi-

vo,

vo & vero. Ora ut nulla creatura è corde meo eximat Deum! ut propter Deum & vitâ & morte contemptis, ita moriar, ut in moriente corde meo se inveniat Deus meus,& se cor meum in Deo meo inveniat,in æternitate mea.Amen.

Ss.Areti, & Datiane, Martyres.

S.Claree Episc.M.

S.Rutile, & socii, in Pannonia MM.

S.Saturnina V. M. quæ resciſſum tuum caput manibus portaſti.

Sancti Metrophanes,Optate, Alexander. Episc.

S.Benedicte Patriarcha,cui oranti hoc die Angelus de felici filiorum tuorum vitâ & morte , Dei nomine,mira & magna promisit.

S.Gualteri,cum ſtellâ in humero nate;qui cælesti voce monitus, parentes fugiſti, eosdemque ad tui postea imitationem traxiſti.

OMNES SANCTI, &c. *pag.229.*

S. MARIA, *cujus hodie & cras , feſtum de* Victoria *celebratur. Vince me, ut vincam me, & triumphes in me !*

5. Iunii. Nonis Iunii,

SAncte Bonifaci M qui poſt turpes, cum Aglaide dominâ tuâ, divite ac nobili,amores , ab eadem caſta ac religiosè ſapere didiciſti; & ab eadem, ad colligendas Martyrum reliquias,miſſus, illorũ exemplis accenſus, ideoque tentus, cùm de nomine interrogareris,respondiſti; *Primum mihi nomen,& quo maximè vocari gaudeo , eſt Chriſtianus.* Tum præceps ſuſpenſus,carne ad oſſa uſque laceratâ, defixis ſub ungues arundinibus cruciatus, oculos defigebas in cœlum , deinde fervente plumbo tibi in

os infuſo, in bullientis picis lebete ab *A*ngelo conſervatus illæſus, aliis, qui adſtabant, effuſo divinitus indè igne correptis, capite truncatus fudiſti ſanguinem lacte mixtum, cujus corpori, cùm reportaretur, obvia ivit cum Clero Aglas, jam antea monita ab Angelo, ſic loquente: Suſcipe eum, qui aliquando quidem fuit tuus famulus, nunc autem eſt frater noſter & comminiſter, ac tuus dominus; & *eum piè honora; ut ſit tuæ ſervator animæ, & cuſtos vitæ.* Ora pro me, ut Chriſtiani nomen impleam virtutibus; ut ſeriò deſeram, quicquid non benè amo; in hora verò mortis meæ (una cum s. Aglaide, vitæ caſtiſſimæ aſperitate, eleemoſynis, pulſis dæmonibus glorioſâ) ſis meæ ſervator animæ, & cuſtos vitæ æternæ. Amen.

S. Bonifaci *A*rchiep, Apoſtolice, quem in cælesti luce ſpectabilis S. Michaël Archangelus, ad illa quæ pro Dei gloria glorioſè agebas augenda animavit; cui avis piſcem attulit pro anona; cujus, ab apoſtatis trucidati, pretioſam fuiſſe mortem, per miracula, oſtendit Deus. Anima me, ô Sancte mi, una cum S. Michaële Archangelo, morientium advocato; ut me tunc, in ultimis vitæ hujus tenebris jacentem, cœleſti luce per illum perfundat, & in æternitate lucis patriam inducat Deus. Amen.

sancti *M*arciane, Nicanor, *A*polloni, & alii Martyres,

Ss. Florenti, Juliane, Cyriace, Marcelline, & Fauſtine, capite cæſi.

s. Zenaides, Cyria, Valeria, & *M*arcia, quæ, per multa tormenta, gaudentes ad martyriũ perveniſtis.

s. Dorothee Presb. anno ætatis centeſimo ſeptimo Martyr.

s. Eoban-

S. Eobane, & alii S. Bonifacii socii Martyres.

S. Sanci, adolescens in aula regia educate, exin pret ose pro Christo Martyr.

S. Eustathi Patriarcha, cui structæ turpis calumniæ authores Ariani, à fœmina, in pœnam fœdi mendacii, exitiali morbo correptâ, proditi sunt, ob quam tu exauthoratus innocens exulabas.

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 229.

S. MARIA, *quæ morientis clientis tui animam, tibi à Ss. Michaele & Joanne Apostolo, unicè commendatam, tuo aspectu recreans, dixisti, te sine illa anima non discessuram. Suscipe me, nunc viventem, posteà morientem.*

6. Junii. 8. Idus Iunii.

SAncte Norberte Archiep. è vano aulico, asperrimæ vitæ sectator, & Præmonstratensium Patriarcha: cui, de Sss. Trinitate cogitanti, triceps dæmon te laudans, & se Trinitatem divinam esse mentitus, agnitus, & pulsus est, cui cum duobus novitiis altero bono, altero tepido, iter agenti, vox è cœlo venit dicens? Hæc est Norberti societas, ex his duobus alter non est de societate illius: & levis ille ac tepidus novitius brevi ad sæculum est reversus, cui regulam auream dans S. Augustinus, dixit: Sub hac si benè militaverint fratres tui, filii mei, adstabunt securi in extremo terrore judicii, qui filiorum Ordinis tui progressus à Crucifixo Jesu didicisti; illos MARIÆ consecrasti; ac eadem veste candida instructus; qui ea, qua migrasti, hora, visus es in veste candida, olivæ ramum manu tenens, ac

te illum è paradiso habere testatus, alii è tuis visus es totus in lilium candidissimum commutari, quod ab Angelis cœlo illatum est, alii apparuisti in domo pulcherrima & illustri; eumque de salute tua quærentem complexus, in sede splendida tecum sedere jussisti, atque dixisti: *Dictum est mihi: Veni requiesce. In pace, & requie sum.* Doce me sanctis laboribus ad quietem illam contendere; impetra mihi cor totum candidum, totum lilium: commenda me Christo in Cruce morienti, & MARIÆ; ut sim sicut oliva fructifera, in domo Dei mei; ut vivens hoc & moriens cor, integro conscientiæ candore, ac pace, velut lilio & oliva coronatum, in paradisum æternitatis in pace transferatur, Amen.

s. Philippe Diacone, una cum quatuor Virginibus, filiabus tuis, prophetissis.

s. Artemi, cum uxore s. Candidâ, & S. Paulinâ filiâ, lapidibus, ruderibusque utraque pro Christo obruta, Martyr, plumbatis cæse, ac tandem gladio percusse.

s. Paule Archiep. *Martyr.*

Sancti viginti Martyres, qui Dominum, per diversa tormenta, in corporibus vestris glorificastis.

Ss. *A*manti, Alexander, & socii, M*M*.

s. Alexander Ep. *M.*

Sancti Eustorgi, Joannes, Claudi, Episcopi.

s. Guduvale Episc. qui mari terminos posuisti, ultra quos deinceps illud non exundavit: quo ad Horas canonicas dicente, *Deus in adjutorium meum intende! A*ngeli subjunxerunt: *Domine ad adjuvandum me festina;* & ita choro alterno totum Offi-

Officium cum iis explevisti, quo sacrificium celebrante, Angeli ex aperto cœlo descenderunt, tecum Deum laudantes, cui, post celebratum Sacrum, Crucifixi imaginem invisenti, Angelus apparuit, teque ad constanter, in fortissimo virtutum certamine, perseverandum hortatus est, cui mare sicco pede calcanti vox è cœlo venit: *Constans esto, electe mi; tecum ego sum Deus tuus,* cui, decimo ante mortem die, sacris operanti, S. Michaël Archangelus, & SS. Petrus ac Paulus Apostoli adfuere, tibi mortis diem prædixere, hortati, ut te, more tuo, ad illum hymnis, jejuniis, precibus præparares. *Ita enim,* ajebant; *obtinebis coronam regni cœlestis.* Juva & me, ac doce, ut ita orem, atque si cum Angelis orarem; ita me morti parem, sicut tu te, per dies illos decem, parasti.

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 229.

S. MARIA, *quæ hodierno tuo* Norberto *puritatis donum perpetuum impetrasti, & illum candidâ veste donasti: impetra mihi, ut cor mundum creet in me Deus!*

7. *Iunii.* 7. *Idus Iunii.*

SAncte Roberte Abba, qui, ob eleemosynam *Angelo,* sub egeni specie latenti, datam, ab eodem; discipulos tuos omnes duobus exceptis, cælesti æternitati inscribendos didicisti; dæmonem, fratrum tuorum acta, & orationes explorantem, vidisti; novitium, illius suggestiones non statim repellentem, ab eodem, è medio orantium furca ereptum in orcum auferri aspexisti: ipse verò mortuus, à tribus

bus Angelis cælo inferri es visus, conspectis tunc, à tuo Confessario, duobus muris, ad cælum usque porrectis, & animâ tuâ, instar globi ignei collucente, latrantibus contra semper iis, quos semper vincebas, dæmonibus. Latrabunt illi & contra me morientem, ut cœlo non inscribar: sed ora, ut canes illi non me mordeant; verùm salvus, à bonis Angelis, ad bonam bonorum, & optimi Dei, æternitatem deducar. Amen.

s. Paule Episc. pro fide Catholica exul strangulate.

s. Lycarion, qui laniatus, & virgis ferreis ignitis cæsus, post alia tormenta gladio percussus es.

Sancti Petre Presbyter, Walabonse Diacone, Sabine, Wistremunde, Habenti, Hieremia, Monachi.

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 229.

S. MARIA, *quæ infantem mortuum, tuæ aræ hodie impositum, vitæ reddidisti, ut baptizatus, feliciùs moreretur. Impetra mihi id, quod mihi fortè deest, ad mortem felicissimè obeundam!*

8. *Iunii.* 6. *Idus. Iunii.*

SAncte Medarde, egenorum amantissime, contra pluviam ab aquila defense, cui suis facibus parentans cælum, deduci, pandique visum, & evolans ex ore tuo columbæ specie, innocens anima tua, duabus è cælo columbis comitibus, volavit in cælum, Amem pauperes, amem, quæso; ut & me amet Deus; Aperiam erga illos cor, ut & mihi morienti Deus cælum aperiat; & animam hanc meam,

timidæ

timidæ columbæ instar, pavidulam, contra rapaces inferni aves, in æterna securitate constituat. Am.

Ss. Maximine, & Heracli, Episc.

S. Calliopa, quæ abscissâ pectoris carne, adusto corpore, super testulas volutata, capite truncata es.

S. Gildarde Ep. qui cum S. Medardo, fratre tuo, eodem die nati, eodem Episcopi consecrati, eodem die ad æternum diem hinc migrastis.

Sancti Clodulphe, & Severine, Episcopi.

S. Salustiane.

S. Victorine Eremita, cui dæmon, errantis per desertum fœminæ specie, fœdè illusit: quare contaminatam manum in arboris, ferro apertæ, rimam immisisti, & ita constrictam, in amarissima pœnitentia, trienio expirasti; ac tandem à Deo ad vera verè pœnitentium gaudia es vocatus.

S. Syria Virgo regia, S. Fiacrii soror, quæ ad s. Saviniani sepulchrum oculorum lumen recepisti; atque ibidem, in augusto conclavi, cursum vitæ reliquum confecisti, asperrimè te afflictâs; & post mortem miraculis celebris, maximè mirabili ope illis allatâ, qui acutissimis calculi doloribus cruciati, te implorarunt. Pelle à me dolores illos, qui obesse possunt animæ meæ: juva in iis, qui proderunt.

OMNES SANCTI &c. pag 229.

S. MARIA, *cujus hodie* commemoratio *Constantinopoli celebratur; qua S. Theodorum, ad juvandas Ioannis Zimisca Imperatoris copias, mittere es audita, & illi victoriam procurasti: mitte omnes Sanctos, & Sanctas Dei quorum Regina es, ad me juvandum in hac vita, & morte, qua est militia super terram!*

9. Iunii.

9. *Iunii*, 5. *Idus Iunii*.

SAncte Ventura, fullo sancte, cui Crucifixus, è Crucis pulpito, Vulneribus concionatus est ad cor! qui visi semel cœlestis *Agni* sæpè recordatus, suscipiens, & suspirans in cœlum; ajebas: *Ad te levavi oculos meos, qui habitas in cœlis!* & stupebas, ad hæc verba hominum corda non colliquescere: fœdas cogitationes, urticis te flagellans, fugasti, cœlo magistro usus, doctorum magister factus es;& sub mortem Christum iterum aspexisti; & nunc aspicis semper! O persuade Crucifixo Ecclesiastæ tuo, ut & me ad fervores illos, ad illas cordis in cœlum elevationes, accendat, & nunc, & tunc vel potissimũ, quando ultimum spirabo, ut *ad se levet animam meam, qui habitat in cœlis. Amen*.

Sancti Prime, & Feliciane, quos, fractis catenis, Angelus è carcere liberavit; virgis plumbatis cruciati.

S. Prime, qui fustibus, equuleo, lampadibus tortus, cantabas lætus: *Igne nos examinasti; sicut examinatur argentum*; & Deo JESU benedicens, ajebas, te nil tormentorum sentire: bulliens plumbum illæsus hausisti; &, una cum Feliciano, à leonibus, ac ursis nil læsus, conversis plurimis, gladio uterque cæsi estis.

s. Vincenti Levita, *M*.

s. Pelagia Virgo, admiranda virginitatis Martyr.

Sancti *Maximiniane*, & Richarde, Episcopi.

s. Columbane, qui aquam in vinum convertisti,

fru-

fructus amaræ arboris dulces reddidisti; mortuum suscitasti; quem orantem Angeli circumstare sunt visi, quem aliàs lumen cæleste circumdedit; à cujus, divina celebrantis, vertice conspectus est globus igneus ire in cœlum: cujus animam Angeli cœlo inferentes, voce suavissimâ canere sunt auditi. Fac, ut quoties oro, id faciam, tanquam in medio Angelorum, corde perfecto.

s. Juliane Monache.

s. Lupe, quem oblati à Grata filia flores, qui divinitus è terra, s. Alexandri sanguine rigatâ, nati fuerant; de inde audita ejusdem Sancti gesta, & accurata lectio divinorum librorum, cœlo lucrata sunt.

OMNES SANCTI, &c. 229.

S. *MARIA, quæ cum parvulo in sinu JESU, fideli cuidam animæ apparens, illam ad eum, a quo in spiritu edoceretur, misisti sis magistra spiritûs mei!*

10. *Iunii* 4. *Idus Iunii.*

SAncta Margarita, purissimi, ac ad divina tenerrimi cordis Regina, quæ in ipso nuptialis tuæ domûs loco, sanctæ Trinitati templum erexisti; singulis noctibus de Ss. Trinitate, de Cruce, de Beata Virgine, matutinum, preces pro defunctis, & psalmos ubi absolvisti, non prius te somno concedebas, quàm sex pauperum pedes ablueres: quæ manè novem infantulos pauperes, flexis genibus, cibo fovebat: quæ interdiu una cum Rege Malcholino, conjuge tuo, cibos trecentis pauperibus ministrabas; antequam vero ipsa mensæ accumberes

qua-

quatuor & viginti pauperes reficiebas ministra. Morbis, ac doloribus plena, teneras Deo gratias agebas; quòd hic te potius urat, hic potiùs secet, quàm post mortem: ac tandem, prævisâ morte, migrasti felix; à morte statim, palloris pristini loco, rubeo candore perfusa. Tibi oratio, lectio, misericordia, jejunium dies noctesque inchoabant, finiebant, implebant! ora, ut sic ego dies ac noctes meas accommodem diei, non nocti æternæ; ut non in tenebris æternitatis, sed in luce miserationum Dei, in sinu Patris luminum, Patris misericordiarum, expirans respirem. Amen.

S. Modestine *Ep. M.* qui æream & candentem tunicam, quam gestabas, & alia tormenta, tibi refrigerio esse dicebas; qui Angelis & feris familiariter usus, ab *Angelo*, ut Jovis idolum everteret, impetrasti.

S. Getuli, qui cum fratre tuo Amantio, & Cæreale, ac Primitivo sociis, igni injectus, & illæsus, agensque gratias, fustibus necatus es.

Sancti Basilides, & alii viginti duo Martyres, qui Christum, & Angelos, in navi, vectores ante mortem habuistis.

S. Zacharia M.

S. Timothee Ep. M.

Ss. Crispule, & Restitute, MM.

S. Aresi, Rogate, & alii quindecim Martyres.

S. Maurine Abba M.

S. Alexander, qui S. Antoninam Virginem, ex infami loco, ut liberares, tuâ illam in veste dimisisti, ejus loco ipse mansisti; postea, una cum illa, præcisis

cisis manuum ac pedum extremis, per horrenda supplicia, glorioso martyrio perfunctus.

Ss. Asteri, & Censuri, Episc.

s. Oliva Virgo, anno ætatis decimo tertio, pro Christo captiva; quam in carcere Angelus allocutionibus epulisque refecit: quæ post flagra, & equuleum, in ferventis olei dolio canebas hilaris laudes Deo, quæ Christi fidem aliquibus per miracula persuasisti, quæ flagris cæsa, & in silvas missa, ibi septennio, cum feris, tibi mansuetis, habitasti; juvenes plures Christo lucrata, Martyres præmisisti? ac tandem gladio Martyr cecidisti: & anima tua, candidæ instar columbæ, egredi est visa à corpore cruciato.

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 229.

S. MARIA, *quam, una cum SS. Trinitate, nocturno Officio honorabat S. Margareta Regina, singulis noctibus ea de causa somnum interrumpens; imprime cordi meo tenerrimum, ac perpetuum cultum SSs. Trinitatis!*

11. *Iunii.* 3. *Idus Iunii.*

SAncte Barnaba *Apostole, vir bone, & plene Spiritu sancto & fide.* Pauli socie; qui cùm Christum, ac æternas pœnas, æternam gloriam, prædicares lapidibus impetitus, flammis injectus, post mortē non semel cælesti splendore amictus apparuisti; curationum gratia tantus, ut locus ille, ubi conditus jacebas *sanitatis locus* fuerit nuncupatus. Habe & mei curam, cùm in ultimæ infirmitatis meæ loco decumbam, ut indè non ad eum locum descendam,

dam, ubi omnibus omnium infirmitatum tormentis majores sunt, æternique dolores; verùm ad amœnissimum æternæ sanitatis locum ascendam. Amen.

Sancti Felix, & Fortunate, fratres, equuleo suspensi, atque ardentibus lampadibus ad latera admotis, mox divina virtute extinctis, ferventi oleo perfusi, & capite truncati.

s. Parisi, jejuniis, oratione, mortificationibus, & miraculis celebris, Deo sacrarum Virginum magister sancte, centesimo decimo sexto ætatis anno extincte.

B. Joannes Sahaguntine, inter sacrificandum in altum elevari vise; Ecclesiastes puritatis.

s. Petre cælestine, qui XI & XII Junii, splendens in gloria, super divinæ Matris templum, Aquilanæ urbi benedicere conspectus es.

s. Gregori Nazianzene, hodie translate.

OMNES SANCTI &c. *pag.* 229.

s. MARIA, *cujus ope natus, religioni addictus, & hodie, te morientem consolante mortuus est* B. Joannes à s. Facundo, *felicissimus cliens tuus: para me morti sanctæ illo modo, quem optimum esse nosti!*

12. *Junii. Pridie Id. Iunii.*

SAncte Onuphri, qui plus quam quinquaginta annis, nullo ferè mortalium viso, in antro latuisti, cui palma ante fores cibum aquam Angelus ministrabat; cui octavo quoque die JESUS, in pane Angelorum absconditus, pompâ Angelicâ est allatus, pro tuæ nutrimento virtutis; quem morituQ rum

rum Paphnutius invisit, mortuo verò lætas *Angeli* exequias cecinerunt. Sancte senex, qui præ Deo planè omnia contempsisti; ora altissimum Deum, ut altissimâ quâdam æstimatione magis æstimem æterna illa & bona, & mala, præ his bonis & malis, quæ brevia sunt, non æterna; sequar alta, ac æterna, maximaque, ac prima æternitatis principia, & ex illis feliciter vitam concludam!

Sancti Basilides, Cyrine, Nabor & Nazari, milites, illustri sanguine, militiâ, martyrio nobilissimi; qui cælesti luce in carcerem delapsâ, *Marcellinum*, aliosque ad Christum convertistis; & scorpionibus cæsi, securi tandem percussi estis.

s. *Antonina*, fustibus, equuleo, flammis, gladio Martyr.

s. Olympi Ep. pro fide Catholica exul.

s. Odulphe Presb. zelo, & miraculis laudatissime.

s. Amphion Ep.

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 229.

S. *MARIA*, *qua hodie sub tuo pallio illos, qui tibi commendati fuerunt ostendisti: tege me auxilio tuo, potentissima Domina; doce sub tuum præsidium benè semper confugere, ne peream!*

13. *Iunii. Idibus Iunii.*

SAncte Ferdinande, seu, s. Antoni de Padua, ob memoriam ac eloquentiam à summo Pontifice, *Arca testamenti*, vocate; qui præfocare te conantẽ dæmonem, solo MARIÆ nomine fugâsti; qui mor-

tui

tui avari damnati divitis cor non in pectore, sed in cista illius, esse demonstrasti; quando cor ejus, non in corpore, sed inter ejus olim nummos, repertum est; qui ab Angelo, Padua Ulyssipponem, divinitùs portatus, ibi occisum puerum interrogasti, nùm à tuis parentibus fuisset occisus? & ille respondit, illos suæ necis conscios non fuisse, ita tuos parentes à calumnia, vinculis, & periculo liberasti; ac vi divina Paduam es reductus, in toto illo utroque itinere atque negotio, non nisi una die ac nocte consumptis, qui noctu in diversorio orans, parvulum Jesum super librum habere conspectus es, qui hoc die, anno 1231. moriens, *O gloriosa Domina!* cecinisti, & dixisti: *Video Dominum meum*, ac anno 1232. die Pentecostes, in Sanctorum catalogum à Gregorio IX. ritè relatus es, campanis Ulyssipponæ in tua patria, ultrò eo die sonantibus; post mortem à Deo plurimis miraculis honoratus, maximè in iis reperiendis, quæ sunt amissa, cujus linguam, post plus quàm triginta à morte annos, adhuc integram, exosculatus S. Bonaventura, flevit, & dixit: *O beata lingua, quæ semper laudasti Deum, & fecisti; ut etiam ab aliis laudaretur!* Esto tu linguæ meæ Seraphinus; tange illam, purga, & accende ad ignitum de Deo eloquium vehementer, carbone amoris Dei. Doce me Jesum in libris quærere, ac invenire in cælo. Effice apud Jesum, & Mariam, ut MARIA à me dæmonem, præfocare me æternùm conantem, fuget; ut Jesus morienti, unà cum illa, mihi benignus assistat. Amen.

S. Felicula Virgo, quæ, ne Christiana Virgo esse

defineres, post carcerem tenebricosum, longamque inediam, in equuleo, usque dum expirares, torta, dicebas: *En Christum Sponsum video; qui tanta pro me passus sustinuit*; & postea in cloacam projecta es.

Ss. Fortunate, & Luciane, Mm.

S. Aquilina duodecennis virguncula, quæ per colloquia, Christum virginibus & matronis ardenter suadens, colaphis cæsa, distenta, & exultans verberata, aures, & caput subulis, ac ferro candente usta, ab Angelo restituta, prius, quam cervicem teneram gladio feriret carnifex, innocentissimam animam exhalasti; ac præciso deinde capite, loco sanguinis, virgineum lac fudisti.

S. Peregrine Episc. quem cùm carnifex capite plectere planè non posset, in fluvium, una cum saxo, abjectus, una cum saxo mortuus emersisti; cujus exequias Deus cælesti lumine illustravit.

S. Fandila Presb. Martyr.

S. Triphylli Episc.

OMNES SANCTI, &c *pag.* 229.

S. Maria, *quæ à sancto tuo* Antonio, *per Hymnum illum*, O gloriosa Domina, *invocata, dæmonem fugasti, & eidem hodie horâ mortis adfuisti.* O *gloriosa Domina, fuga à me quicquid in hora mortis, Deo displicere potest in me!*

14. *Iunii.* 18. *Kal. Iulii.*

SAncte Basili, quem, in columnæ igneæ specie, vidit S. Ephræm; de quo in exilium ejiciendo decretum scripturi Valentis sella confracta, tribus calamis

calamis atramentum negantibus, dextra dissolutis nervis tota contremuit; qui virginitatem tuam orationibus, jejuniis, ac studiis custoditam, illibatam tumulo intulisti. Illucesce mihi sub vesperum, ac tenebras mortis meæ, ô columna ignea; & me ex hoc deserto feliciter eductum, deduc salvum in terram, imò in cœlum promissionis. Amen.

S. Elisæe Propheta, cujus sepulchrum dæmones perhorrescunt.

S. Marciane, S. Petri missu, prime Siracusarum Episcope; ob fugatos ex antris dæmones, ob S. Paulum Apostolum hospitio acceptum, & plurimos ad Christum conversos, illustris, à Judæis laqueo præfocate Martyr.

Sancti Anastasi, Felix, & Digna Virgo, Martyres.

Ss. Rufine, & Valeri, Martyres, Romani nobiles, quibus in ergastulo Angelus duas pretiosas coronas paratas ostendit.

S. Digna V. M. cui per quietem rosas, & lilia ostendens S. Agatha V. M. te ad agendum, & patiendum fortiter, est exhortata.

Sancti Methodi, Ætheri, & Quinctiane, Episcopi.

S. Hartuvice Archiep. mœstorum omnium consolator.

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 229.

S. MARIA, *cujus ope, ac jussu, orante coram tuâ imagine,* S. Basilio, *Iulianus apostata trucidatus est. Occide in me, quicquid malè vivit in me; ut vivam tibi!*

15. *Iunii*. 17. *Kal. Iulii*.

SAncte Landeline, quem è juvene Angelico impium, & ferè diabolicum, fecit mala societas! sed posteà, ubi morientem è sociis unum à dæmonibus ad æternitatem inferni auferri vidisti, & ab Angelo custode tuo multa, de prava malorum conversatione cavenda, multa de Beatorum, ac damnatorum æternâ societate audisti, ad mentem iterùm ad Deum, ac pœnitentiam, rediisti; MARIÆ amore magno, peregrinationibus, oratione, miraculis, ac sanctitate ubique maximus; cilicioque, ac cineri ultimùm indormiens in Domino; post mortem etiam à Deo miraculis & gloria, ab hominibus lacrymis, laudatus es. *Sancte mi!* ora, & effice, ut nulla ullius amem colloquia, nullum socium, qui me ad infelicissimam damnatorum societatem abducat, inimicus æternùm futurus; sed illos amem socios, qui me ad æternam Beatorum societatem felici morte adeundam juvent, & unà mecum in illa gaudeant fideles æternùm amici. Amen.

S. Vite puer, ab aquila paste, in clibano plumbo, resinâ, & pice ferventi, Angeli operâ, illæse; cum Ss. Modesto, & Crescentiâ, in catasta torte; *Angelis* comitibus alio abducte; per multa miracula, & tormenta. Martyr.

S. Hesychi miles. M.

Sancta Benildes M.

Sancta Dula, virgis, craticulâ, ferventi oleo, felix Martyr.

Sanctæ

Sanctæ Libya, & Leonides, sorores, & S. Eutropia, duodecim annorum puella, per diversa tormenta, Martyres.

s. *A*braham, inter tormenta exultans, ab Angelo liberate; qui orando, dæmoniacos, ægros diversos curasti, vinum mirabiliter auxisti; post mortem etiam patronus ægrorum.

s. Febronia V. M. quæ è cœnobio extracta, igne ad viscera ipsa admoto, pectinibus cruciata, & suspensa fortissimo silentio, vel oratione, mirabilis perstitisti. Tum tibi septemdecim dentes evulsi, & abscissæ de toto pectore carnis loco, admotus ignis; deinde pedes ambo, ac manus, denique caput abscissum est; multis tanto spectaculo ad Christum conversis: quæ cum festum tuum celebraretur, sæpe noctu, stans in medio, inter orantes conspecta es. *A*desto & mihi oranti, ut benè orem.

OMNES S*A*NCTI, *pag. 229.*

S. MARIA, *cujus titulo insignis hic etiam dies Constantinopoli, dicitur* Congregatio Beatissimæ Virginis *MARIÆ, quam hodierna* Reparata, *inter* Salve Regina *canentes sæpè vidit: ora pro me ut benè orem ubique ac semper: ut sim dignus Congregatione tuâ in cælo.*

16. *Junii.* 16. *Kal. Julii.*

SAncta Ludgardis Virgo, cui duodecim annos natæ, & cum quodam juvene, incauta simplicitate collocutæ, Christus lateris sui hians Vulnus ostendit, ac dixit, ut amore alio posthabito, ibi quæreres quod amares; quare juveni, ad te reverso, dixisti:

Discede à me, pabulum mortis; quia jam ab alio amatore præventa sum! quam contra respectus humanos, & contra teporem, quem timebas, muniens Dei Mater dixit: Non sic erit, ut tu times. Meâ te sollicitudine protegente, firmaberis in salutem: nec minuetur in te virtus & gratia; sed cumulabitur, cui cor suum dedit Christus, tuo ablato, quæ noctu infirma, & divinitus jussa surgere ad preces, obedivisti, atque Crucifixum obvium illicò habuisti, qui brachio & amplexu te, ad bibendum lateris Vulnus, cordi admovit, cui de S. Joanne Evangelista meditanti, Apostolus ille apparuit instar aquilæ, sparso per orbem pennarum nitore illustris; unde tu admirabile de divinis lumen hausisti, cui in difficili quadam obediendi occasione, Christus dixit: *Volo ut eas: nisi feceris, ego te deseram.* cui Deipara se pro scuto fore promisit; Christus Vulnera sua ad te clamare dixit, ut pro peccatoribus orares: quæ animam quandam, quam è purgatorio liberâras, vidisti; quæ à moniali quadam illudentem, ab alia lascivum dæmonem, pepulisti: è cujus orantis ore visa est flamma in cœlum ascendere: cujus pro peccatoribus flentis lacrymas Christus laudavit, atque abstersit: quæ longam undecim annorum cæcitatem suavem habuisti, ob beatissimam Virginem, & Sanctos, qui te, extremis quatuor annis, ferè quotidie invisebant: quam S. Maria de Oegnies è cœlo hortata est, ut orares pro quodam, in mortis articulo laborante, quæ, ob monialium in precibus persolvendis negligentiâ, pestem, postea coortam, prædixisti; cumque illæ orarent attentiùs, pestis cessavit; id quod prædixeras quam sabbato morientem Sancti, & ali-

aliquæ moniales, ante te mortuæ, invisêre: & post mortem apparuisti gloriosa, teque sine purgatorio in cœlum abiisse, ac plures è lustrali illo carcere animas tecum duxisse dixisti! quippe quæ cæca, à Christo audieras, te sic purgatorii pœnas redimere; & amicos, quos hic videre optares, visuram in cælo; cui è cælo dictum; *Propediem à Domino coronaberis:* & à Christo; *Propè est laborum tuorum finis, neque te diutiùs à me separari patiar*: quæ obvios tibi morienti JESUM & MARIAM vidisti! O felix mors! Ora, ut ad illam ita cor disponam, ut nil me delectet, nisi quod est secundùm cor JESU: ut Crucifixi, ac MARIÆ amantissimus, illos ad magnum illud iter duces habeam. Amen.

S. Benno Episc. qui, post mortem, te cæli gloriâ frui dixisti.

Sancti Ferreole: & Ferrutio, gladio Martyres, Vsontionensis Urbis patroni; utpote cui, si quod periculum immineret, in ejus mœnibus, duæ faces ardentes, ac splendidæ, circumeuntes, ac omnia illuminantes, sint visæ, indices vestri erga Urbem clientem præsidii.

S. Quirice, triennis parvule, ad gradus tribunalis pro Christo allise.

S. Julitta, S. Quirici mater, post verbera, & alia tormenta, capitis obtruncatione Martyr.

Sanctæ Aurea, & Justina soror, aliique *Martyres*.

S. Tycho Ep. qui à patre, ad panes vendendos, missus, illos pauperibus dedisti, teque illos Deo dedisse, ac syngrapham habere, dixisti, granariis tritico mox refertis; qui aridum, quem depanxeras, vitis

 surca-

surculum radices egisse, & maturos hoc die botros tulisse vidisti.

S. Aureliane Ep.

S. Similiane Ep.

S. Gebharde Archiep. pro Ecclesia magnanime, multa pro Dei zelo passe.

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 229.

S. MARIA, *quæ hodiernæ* Ludgardi, *ad sanctissimam Eucharistiam accedenti, ductrix, & comes, unà cum S. Joanne Baptista, & Angelis adfuisti; doce me, Domina cælestes mores, dum divinæ illi mensæ accumbo!*

17. *Iunii*, 15, *Kal. Iulii*.

SAncte Raineri, cui peccatum quodpiam in confessione tacere cogitanti, *Angelus*, ut integrè sanctèque confitereris, persuasit; & præ verecundia tacenti, dixit: *Raineri peccatum tacuisti*; cui ereptos, per pœnitentiæ lacrymas, oculos, per miraculum reddidit Deus; qui divitias, & luxum, fœdissimi odoris esse didicisti à Christo: & posteà pauper peregrinus factus, JESUM & MARIAM sæpè hospites habuisti; & nunc in mensa cælesti æternum cum illis non hospes, sed domesticus es. Ora, ut ita sanctè, ita crebrò, confessiones meas, dolore, ac proposito solido animatas (non per superficiem tantùm) instituam, quasi jam moriturus; ita in cibo, potu, ac ubique me habeam, tanquam coram JESU! Fœteat mihi, quicquid displicet Deo! & fœtente tam in sepulchro meo corpore, in odorem unguentorum suorum trahat, & in odorem suavitatis,

ac

ac holocaustum amoris, suscipiat animam meam Deus. Amen.

S. ducenti sexaginta duo MM.

S. Montane miles. Martyr.

S. Himeri Episcope.

Sancti Nicander, & Marciane, capite cæsi Martyres.

Sancti Manuel, Sabel, & Ismael Legati Martyres.

Sancti Isaure, Innocenti, Felix Hieremia, & Peregrine, variè torti, capite obtruncati,

S. Gundulphe Episc.

S. Hypati Confessor.

S. Avite, cœlesti splendore inter nascendum corusce, vitæ austeritate, ac miraculis gloriose.

S. Bessarion Anachoretha, inediæ, frigoris, egestatis patientissime, ac semper ex æternorum spe excelsa suspense; qui; totis quadragiata diebus, inter spinas, perstitisti immotus; per annos autem totidem, nunquam cubans dormivisti.

S. Antidi Ep M. Cujus amputatum pro Christo caput. Dei, laudes auditum est mirabiliter cecinisse.

S. Hervæe, cui mortem prædixit Angelus, & morientem harmonia cælestis honoravit.

OMNES SANCTI &c. *pag. 229.*

S. MARIA, *qua hodierno* Rainero *pro peccatorum venia impetranda supplici, cum Sanctis apparuisti, & dixisti.* Raineri, fili mi, in meo sinu quiesces, *Pete idem, quod ille, Domina: da mihi, quod illi!*

18. *Iunii.* 14. *Kal. Iulii.*

SAncte Leonti M. cujus Deum, *Angelo* docente, Hypatius Tribunus, ter hisce verbis inclamans, *Tu qui S. Leontii Deus es, mihi, quæso, auxilium feras!* repentè sanus factus est: qui fusis precibus Theodulum, ac Tribunum, nube aquæ lucidâ illos illuminante, convertisti: converte me seriò: impetra mihi lumen, quo perfundar totus, nunc, & in morte; pro qua feliciter obeunda, *tu qui S. Leontii Deus es, mihi, quæso, auxilium feras! Amen.*

Sancti Marce, & Marcelliane, fratres, qui ad stipitem alligati, ac in pedibus clavis confixi, cùm Christum cantando laudare non cessaretis, & nunquam vos tam jucundè epulatos, ac in amoreChristi fixos, diceretis, lanceis per latera transfixi estis.

Sancti Cyriace, & paula Virgo, lapidati.

s. Ætheri *Martyr*, post ignes, & alia, gladio cæse.

s. Marina Virgo.

s. Amande Episc.

s. Elisabeth Virgo.

s. *Autberte* Ep. *Archangelo* Michaele familiariter use; ab eodem templum ejusdem nomine construere jusse: eodemque duce, morte beatissimâ immortalitatem adepte.

s. Calogere senex qui quo ad vixisti, totâ hebdomadâ, excepto tantùm die Dominico, jejunasti, non nisi pane & aquâ refectus: *& divino amore intensus*, mira in Sicilia divinitus vidisti atque parasti, cujus corpus exanime genibus complicatis, erectâ cervice, extensisque in altum manibus, est repertum.

OM-

OMNES SANCTI, *pag.* 229.

S. MARIA *quæ cuidam te pro felici morte precanti, dixisti, te curaturam, ut illius mors non solito sit, ut hominis Christiani, sed etiam sicut Sancti: impetra mihi mortem, quæ sit sicut hominis Christiani verè, & verè Mariani!*

19. *Iunii.* 13. Kal. *Iunii.*

BEata Juliana Virgo, *MARIÆ* à cunis devotissima; quæ quot hebdomadis, quartâ & sexta feria, nihil, sabbato vero panem tantùm & aquam, in cibum & potum admittebas; cui pleni semper tenerrimarum lacrymarum oculi, plenum ignis sancti cor; quæ sacratissimo viatico cùm ob languentem stomachum refici non posses, per miraculum refecta, blandè ridens obdormisti in Domino, & expressam Crucifixi in pectore imaginem reliquisti. Impetra cordi, ac oculis meis lacrymas salutares; impetra Crucifixum JESUM pectori huic duro: ut doleam nunc omnia mea, & omnia omnium creaturarum contra Deum facta mala; gaudeam de meis, & omnibus omnium creaturarum pro Deo factis bonis; ut æternùm videam æterna bona mea, & gaudeam de Dei, & omnium Sanctorum æternis bonis. Ne mihi quæso, ullum gaudium temporis eripiat blandos risus mortis, & gaudium æternitatis. *Amen.*

Sancti Gervasi, & Protasi, sanctorum Vitalis, & Valeriæ Martyrum filii, Martyres; qui sparsis in pauperes omnibus, servis libertate donatis, tu, Gervasi, plumbatis ad mortem usque cæsus es; tu

ve-

verò, Procasi, fustibus percussus, capite truncatus es.

Ss. Ursicine, & Zosime, MM. post acerbos cruciatus, capite cæsi.

Sancti Gaudenti Ep. & Culmati Diacone, Martyres.

S. Bonifaci, è musico tui nominis, & patroni Martyris gloriâ, ac martyrium accense Martyr.

S. Romualde, Camaldulensium Pater sancte, hodie mortue, cujus cilicio dæmon fugatus est.

B. Michelina, quæ à Crucifixo felicem, & celerem filio tuo mortem impetrasti; quæ postea carnis tuæ hostis, ægrorum ancilla elephantiasi exesi cujusdam dum ulcera singula exosculareris, sanâsti.

OMNES SANCTI, &c. pag. 229.

S. MARIA, *coram cujus altari, & imagine orans. S. Romualdus, corde toto ad magnam vitæ sanctimoniam exarsit, lacrymis abundè perfusus. Ora, Domina, ut, quoties oro te seu Deum per te, semper melior redeam à te.*

20. *Iunii.* 12. *Kal. Iulii.*

SAncte Novate Presb. S. Pudentis senatoris Romani fili, S. Timothei, & Sanctarum Pudentianæ, ac Praxedis frater; cujus nonaginta sex capitum familia ab Apostolis baptizata, & erudita cœlo est. Sancta domus, sancta familia, sancti fratres, ac sorores! Jam estis in domo æternitatis vestræ. Vestra domus templum facta est; vobis verò cœlum jam domus & templum est. Orate, ut ita in hac mundi domo verser, tanquam in templo Dei; ita hic, usque ad

ad mortem , *benedicam Dominum in omni tempore*, ut post mortem, in domo Dei, *benedicam Dominum in omni æternitate*. Amen.

S. Silveri Papa, supra omnes humanos respectus, altissimi & constantis animi vir ; qui ideo exul , cùm pane tribulationis , & aqua angustiæ sustentareris, extinctus es post ærumnas, miraculis magnus.

Ss. Paule, & Cyriace MM.

S. Macari Ep. pro fide Catholica exul.

S. Florentia Virgo, sanctorum Leandri, & Isidori Episcoporum soror.

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 229.

S. MARIA, *cujus hodie imago* à consolatione , *&* *altera* à miraculis *dicta*, *Romæ inclaruit: cujus sponsi* Josephi *morientis dies ab aliquibus hodie celebratur. Impetra mihi , unà cum* Josepho *tuo , hoc miraculum: ut fiam tandem seriò bonus ; impetra mihi morienti illam consolationem, quâ tunc maximè indigebo!*

21. *Iunii*. 11. *Kal. Iulii*.

BEatissime Aloysi Gonzaga Marchio ; immaculatum, per omnem vitam, absque ulla lethiferi peccati labe , innocentissimæ virtutis exemplar; adolescentiæ magnes ad amorem Dei ! qui MARIÆ ope natus, illam in singulis scalarum gradibus ad sanctæ tuæ Catharinæ Senensis exemplum , parvulus Angelus salutabas ; & sabbatino , crebroque alias, jejunio, refectione tenuissima, quotidiano Officio, cilicio, cruentis flagris, calcaribus, catenu-

tenulis te affligans, colebas; vel ad auditum MARIÆ, aut divini amoris, nomen, in teneras lacrymas fluentibus oculis, ardente vultu accensus: quam, die gloriosæ illius in cœlum assumptionis, Madriti coram eâ, quæ S. MARIÆ *de bono consilio* dicitur, imagine, post sanctissimam Eucharistiam consulens, ex imagine sua loquentem audisti, *Societatem* JESU *ingredere*! Qui cum divino sacrificio interesses, in lacrymas affluentissimè solvebaris: de divinis tunc puer colloquens persæpe auditus es suspirans dicere: *O Deus! quàm vellem scire amare Deum, ardere tanto, quanto digna est illa Majestas!* Rogatus, cur Marchionis titulos, opesque desereres? *Volo* ajebas, *volo mihi coronam in cœlo acquirere. Nimis arduum est, & esse Dominum, & salvari. Nemo potest duobus Dominis servire: Deo & mundo. Volo securam reddere salutem meam* Societatem ingressus, eam *domum sanctæ paupertatis* vocabas; in ea ignito illo tuo eloquio vehementer socios accendebas: de tractandis sæculi negotiis rogatus, respondebas: *Ego non sum ampliùs de hoc mundo.* Qui MARIAM, puritatis, & humilitatis tuæ præsidem elegisti: Angelo tuo custodi, tanquam cæcum, ducendum te commisisti, cum Seraphinis, aliisque choris Angelicis novies, pro jaculatorio suspirio, repetens illud: *Sanctus Deus, sanctus fortis, sanctus & immortalis, miserere nobis!* qui legendis, & ferè de amore Dei, spiritualibus libris horam tibi quotidie integram præscripsisti; & in divini amoris meditatione, à sensuum usu abstractus, corde toto adeò palpitabas, ut illud in Deum exultans, videretur velle in cœlum è tuo pectore exilire, quem orantem vix unquam alienæ

co-

cogitationes interpellabant. Qui *secundum rationes æternas*, & non secundùm temporales, agendum ajebas? & pro concione ducebas, Christum velle docere nos, *quomodo debeamus in nobis ædificare civitatem amoris Dei.* Moriens denum, *lætantes imus!* dicebas, *Lætantes imus!* Et ivisti eò, ubi te Beata Maria Magdalena de Pazzis vidit in gloria Sanctorum; & exclamavit: O *quantam gloriam habet Aloysius, filius Ignatii! nunquam id credidissem, nisi ostendisset id mihi JESUS meus. Habet gloriam tantam ob actus internos; & quia obediens erat inspirationibus divinis. O quantum amavit in terris! ideo fruitur Deo pleno amore in cœlis, & sagitta in cor Verbi ab illo vibrata, nunc in corde illius requiescunt.* Tuæ quoque Reliquiæ à quodam fœdas rebellis carnis imagines, morbos ab aliis, dispulere, sed & ægro cuidam sæpius visus, ei loquendi, facultatem reddidisti, linguâ ejus in Cruce signatâ; & monuisti, ut linguá, non nisi ad Dei gloriam, uteretur. Postea eundem è paralysi curans dixisti: *Nolo, nisi sanctificationem tuam, ero dux itineris tui, deinceps ad virtutem contende.* Alii quoque opem tuam imploranti conspectus, cum hortatus es, ut pergeret; Sanctos enim gaudere occasione exhibendæ suis clientibus charitatis; cùm in cœlo nulla suppetat occasio vel humilia officia exhibendi; vel corporis affictandi, O flagrantissime Juvenis, sis mihi diu! doce amore, doce actus internos Deo gratus! doce MARIA consultrice uti, ac inspirationes divinas obedienter sequi! Amen.

s. Demetria V. M.

Ss. Rufinae, & Martia MM.

Ss. Cy-

Ss. Cyriace, & *Apollinaris*. MM.

s. Albane longis laboribus inclyte; qui caput tuum, pro Christo tibi resectum, tuis ipse manibus ad tumulum deportasti.

s. Eusepi Episc. qui sub habitu militari, Episcopatûs functus officio incognitus, deinde occubuisti Martyr.

s. Terenti Episc & M.

Ss. Urciscene, & Martine Episc.

s. Leutfride Abba, precibus contra dæmones, ignem, potentum vexationes, calumnias, morbos poteas; qui è domo quadam omnes muscas abesse cùm jussisses, illæ omnes illico avolavêre, nec ulla istic musca deinceps unquam comparuit: qui dæmonem, tui specie personatum, & aliis apparentem, cecidisti flagris: quem irridens fœmina, quòd calvus esses, ipsa tota occipite capillos amisit, ejus posteris eâdem pœnâ punitis. Pelle à me, quicquid mihi, cum Deo agenti, molestum est, fuga dæmonem: ne mihi imponat: rege linguam, ut cum omnibus, & de omnibus, cum reverentia loquar.

s. Hemminge Episc. qui preces omnes à Beatissimæ Virginis laudibus inchoabas: temporis, verborum, somni, ciborum parcissimus, orando demum extinctus.

OMNES SANCTI &c. *pag.* 229.

S. MARIA, boni consilii *Mater*, *qua* B. *Aloysio consilium dedisti, ut Societatem JESU ingrederetur: esto consultrix cordis mei: effice, ut faciam omnia, & singula juxta consilium cordis tui!*

21. *Iu-*

22. *Iunii.* 10. *Kal. Iulii.*

SAncte Pauline Ep. pro unico viduæ pauperis filio spontè captive, & hortulane, qui deinde, quantus esses Regi divinitus ostensus per quietem, cum Christianis captivis, ac donis, libertati restitutus es, cui triduo ante mortem, sancti *Martinus*, & Januarius M. è cœlo spectabiles, te ad eandem beatitudinem invitabant: quo moriente, conclave terræ motu concussum est: qui, post mortem; Joanni Episcopo, *Angelica* claritate, ac cœlesti dignitate conspicuus, dixisti, ut solveret vincula tædiorum suorum, & ad gloriam immortalitatis iret. Ora, ne moriens abripiar in captivitatem æternam! Offer merita Dei Jesu pro me, & tua Solve vincula mortalium tædiorum meorum in tædiis mortis meæ!! & voca me; vindica me, aufer me hinc illuc ad liberos Dei! *Amen.*

O gloriosa sanctorum decem millium *Martyrum* crucifixorum corona! quos spinis, flagellis, & aliis suis tormentis cruciatos innovatis suæ mortis tenebris, aliisque stupendis, honoravit Jesus; & vobis pro iis, qui vos invocaturi olim essent, orantibus, vox è cœlo lapsa, vos ad cœlum invitavit, ac exauditam esse vestram pro illis orationem, dixit; corpora verò vestra e crucibus *Angeli* deposuêre.

S. *Albane*, qui pro Clerico hospite, quem susceperas, te ipsum tradens, post tormenta, capite plexus es Martyr.

S. *Miles*, à sancto *Albano*, cùm illum ad martyrium duceres, converse, & cum illo Martyr.

O

O ſancti mille quadringenti octoginta Martyres.

s. Nicæe Epiſcope.

s. Conſortia Virgo.

s. Joannes Ep. à ſancto Paulino ad cœleſtia regna vocate.

s. Achati Dux magiſtris Angelis de hoſte victor, poſtea ſancte, & unà cum tuis, ſpinis coronate Martyr.

s. Eberharde *Archiep.* pacifice; ante cujus mortem glorioſus tibi in cœlo thronus paratus eſt viſus.

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 229.

S. MARIA, *quæ* S. Eberhardo *Epiſcopo, pro tuo nomine liberali cum calice aureo, & liquore cœleſti conſpecta es. Ora, ut quidquid offero tibi, ſit pretioſum, ac dulce; & ut illud corde aureo, ac mundo, non ferreo, & ſordido, offeram!*

23. *Iunii.* 9. *Kal. Iulii.*

BEata Maria de Oegnies, cui comedenti S. Joannes Evangeliſta cum Angelo adfuit; ad quam ſupplicabundas è purgatorio manus tendebant captivæ illic animæ; quæ flexis centies quotidie genibus orabas, & trecentis plagis lacerabas caſtiſſimum corpus; quæ à moriente fœmina dæmone pulſo, illi cor pœnitens impetraſti, aliàs, ob veſtium ſuperbiam, in educenda prole negligentiam, & immoderatum vini uſum, damnandæ in æternum: quæ ante mortem ad ſancta ſanctorum invitata à Sanctis, à MARIA viſitata es. Adeſto tu

mi-

mihi comedenti, bibenti, dormienti, laboranti, oranti, morienti: fac ut omnia faciam Dei mei amore, da, ut corpus meum ita tractem, ut prosit animæ meæ, ac animabus in purgatorio, à Deo adhuc exulibus, impetra mihi cor pœnitens, Deo, Dei Matri, ac Sanctis familiare; ut Jesus, Maria, Sancti omnes, viventem faciant me sanctum, & morientem deducant ad sancta sanctorum. *Amen.*

s. Joannes Presb. M. decollate.

s. Agrippina Virgo M.

s. Felix Presb. cujus os tam diu lapidibus contusum est, donec emitteres spiritum.

Plurimi Sancti hodie lætâ morte mortui, *Martyres.*

s. Zeno M. s. Zena serve, qui Zenonis, domini tui, catenas exosculatus, cum rogasti, ut te tormentorum suorum habere dignaretur participem, & unà cum illo, coronatus es *Martyr.*

s. Ediltrudis Regina Virgo, bis conjux, quæ ante mortem clarè cognovisti divinitùs, te luis contagione morituram, & plures tecum è tuis Virgines ad gloriam abituras.

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 229.

S. MARIA, *qua morienti tua* MARIÆ Oegniacensi, *&* Magnificat *jucundè cantanti, cum Christo Angelis & Apostolis, dulcissimè adfuisti. Adsis mihi nunc, & tunc; ut in ipsa morte mea, ad majorem Dei gloriam obitâ, magnificat anima mea Dominum!*

24. *Iunii.* 8. *Kal. Iulii.*

SAncte Joannes Baptista, qui, necdum natus à necdum nato, Deo infante, visitatus, ad Mariæ vocem, in gaudio exultasti; sanctificate in utero, nate sine peccato ullo: Ora pro me, ut sine peccato renascar æternitati. Confige cor meum! aperi illud Deo. Pone te illi quasi gladium acutum, & quasi sagittam electam! & in umbra mortis trepidum, unà cum Jesu & Maria, in umbra manus tuæ protege me! Ora JESUM, ut in pharetra sua abscondat me, dicatque mihi: *Servus meus es tu, in te gloriabor, & glorificer in oculis Domini, & Deus meus fiat fortitudo mea!* S. Joannes Baptista, qui sacram Eucharistiam sumenti hoc die S. Gertrudi, roseis vestibus ornatus, & pro iis, qui festum tuum religiosè celebrant, orans conspectus es: S. Franciscæ verò dixisti; eam Deo claram esse: eandemque, ad cor dilatandum, adhortatus, docuisti; eos, qui corporis affligendi, & Deo magis placendi, studium negligunt, sensim *tepescere*; illas verò animas, quæ conantur, cum diligentia, *crescere in amore Dei*, eique placere sine timore humanorum respectuum; solides permanere, si Deum *amaret in* veritate, prospera illi fore à Deo omnia; nil curaturam injurias, denique adjecisti: O anima, redde te pulchram dulci tuo Jesu, qui te *renovavit*, & se tibi dedit, fac, ut *ardeas ejus amore*: nam ipse non vult id facere sine te. Alias verò in campo lucido eam hortatus es, ut amaret Deum, ac pro speculo suo consideraret crucem, & dolores Christi. Tū illa in monte Christū Cruci affixū vidit,

Vulneribus radios latè fundentibus, ita ut è capite, spinis saucio, radii ad *Seraphines* & Patriarchas porrigerentur; Apostoli radios haurirent à manuum & pedum plagis; Prophetæ ac Evangelistæ à Vulnere lateris. Tu verò illi ajebas voce cor inflammante: *Ama*, & dilige tuum Dominum, cum doloribus; *ama* cum timore, *ama* cum delectatione, *ama* & dilige illum amorem, qui te perfectè dilexit. Ergò toto mentis affectu, & cordis puritate amemus istum amorem. quibus dictis, cantus in cœlo de amore Dei auditus est. Cane cordi meo hunc amorem, ô vox clamantis in deserto! fac animam meam pulchram; ut delectetur in illa pulcherrimus Deus! Amen.

s. Primitiæ *M*artyrum, omnes sancti, quorum alii ferarum tergis contecti, laniatibus canum expositi estis; alii crucibus affixi, alii incendio traditi, ut in usum nocturni luminis deserviretis.

Sancti Fauste, & alii viginti tres Martyres.

Sancti semptem fratres milites, Orenti, Heros, Pharnaci, Firmine, Firme, Cyriaci, & Longine, per plures ærumnas & dolores, Martyres.

Ss. *A*goarde *A*gliberte, aliique utriusque sexûs innumeri Martyres

s. Simplici Ep. in cujus dormientis pectore agnus immensæ claritatis quiescere visus est.

s. Theodulphe Ep.

s. Joannes, monasticæ vitæ laude, & sanctitate insignis.

s. Romula Virgo, cujus ægræ conclave cœlesti splendore, ac odoribus perfusum fuit; & ante portam tuam, psallentium chori animam tuam, inter

cæ-

cœlestes exequias sursum ferre sunt visi.

S. Ivan, Regis Dalmatiæ fili, à sancto Joanne Baptista contra dæmonem defense, Angelis familiaris, cœlesti ambrosia paste.

OMNES SANCTI &c. *pag.* 229.

S. MARIA, *quæ* Joannem *cognatæ tuæ filium, necdum natum, ipsa* JESUM *Filium tuum gerens in utero, invisisti & gaudio exultare fecisti, O causa nostræ lætitiæ, sis magistra omnium, quæ me delectant, ut delectem Deum, & delecter in Deo: & para me lætitiæ immortali!*

S. MARIA, *cujus imaginem, cum suis, aliorumque Sanctorum, reliquiis, S. Angelo dari, & ab eo in Italiam transferri jussit hodiernus* sanctus Joannes Baptista. *Athanasio Alexandrino Patriarchæ conspectus ipso die Annuntiationis tuæ & imago illa, à S. Angelo Romam, deinde Panormum, est deportata. Fac, ut discam te amare, colereque, à Sanctis, illis qui summo erga Deum & erga te, amabilis Dei Mater, amore, Deo, ac tibi maximè placuerunt!*

25 *Iunii* 7. *Kal Iulii.*

SAncte Gallicane, cui contra Scythas pugnanti, facto voto Angelus Crucem prætulit; & vicisti, Angelis cinctus, Redux à victoria, postquam Christo dedisti nomen, mundo fecisti sanctum vale, factus pauperum, ac peregrinorum asylum, ac servus; mirante mundo! Tandem gladio pro Christo addictus es, Sancte Dux, adesto mihi, mundo ultimum vale dicenti per mortem. Adesto mihi, cum tuis Angelis, & cruce, signo victoriæ. Nunc magis

gis vota tua Deus audiet, si tunc necdum Christiani audivit. Ne mei oblivisçere. Pugnabo illic cum æternarum tenebrarum Rege: ne patere me vinci; ut non victus, & damnandus moriar, sed vincam, & moriar coronandus, Amen.

s. Sosipater, beati Apostoli discipule.

s. Lucia V. M. cum aliis viginti duobus.

s. Febronia V. ob fidem, & pudicitiam, virgis cæsa, equuleo torta, pectinibus laniata, igne succensa, excussis dentibus, pectore lacerato, capitis damnata, Martyr.

s. Eurosia, regia Virgo, M. cui, sub ipso gladio mortem expectanti, cœlestis vox, *Veni* ajebat *electa sponsa Christi, accipe coronam, quam tibi Dominus præparavit!* Quotiescunque pro pluvia, vel contra tempestatem, à Christi fidelibus piè fueris invocata, in tuo nomine ipsorum oratio exaudietur.

s. Antidi Episc. M

s. Maxime Episc.

s. Prosper Ep scriptis Catholicis, elemosynis, miraculis, odore post mortem suavissimo, clarissime.

S. Adelberte, Regis Deirorum fili, claritate, ac humilitate præcellentissime, prophetia, & miraculis magne.

s. Gulielme Conf. qui ad obscena invitatus, super carbones accensos illæsus jacuisti, & invitantem ad saniora consilia convertisti.

OMNES SANCTI, &c. 229.

S. MARIA, cui in filium, è cruce, datus Joannes, *hodie mortuus dicitur. Esto mihi* MARIA, *Mater! & effice, ut ego vivens, & moriens sim tibi Joannes filius*

26. *Junii.* 6. *Kal. Iulii.*

SAncte Joannes, & Paule, fratres, qui cum in impiâ Juliani aula illius familiares esse nolletis, ne in moribus contaminaremini, facta facultatum omnium in pauperes erogatione, per decem dies vos præparastis ad mortem; quorum, clam pro Christo occisorum, meritis, & gloriâ, ipsi ex energumenis dæmones torqueri se fassi, expulsi sunt. Orate, ut fugiam & ego, fugiam semper, inimicas amicitiæ Christi amicitias; Deum præ omni omnium, etiam potentium, & amicorum, hominum respectu, habeam præ oculis cordis! Abibo è mundo semel! amicitia hujus mundi, scio inimica est Deo. Dei ergo potiùs, quàm ullius mortalium, amicus vivam, & moriar. Amen.

s. Vigili Episc. post miracula plura, lapidibus obrute M.

Ss. Salvi Episc. & Superi M.

s. Anhelme Episc.

s. Maxenti Presb. de cujus manibus comedebant aves, libere advolantes; cujus orantis cubiculum Angeli frequentabant, & luce magnâ implebant.

s. Pelagi, pulcherrime, sed simul pudicissime, adolescens; qui, cum à Rege tangi, & à Christo deficere nolles; cum frustatim scindereris, de cœlo vocem audisti, dicentem: *Veni, accipe coronam, quam tibi ab initio promisi.*

s. David Eremita.

s. Perseveranda Virgo.

B. Ro-

B. Rodulphe Episc. magnæ orationis, austeritatis in corpus, & in egenos benignitatis, vir.

S. Venera V. pro puritate Martyr, à fratribus suis occisa.

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 229.

S. MARIA, *cujus honori hodiernus S. Anselmus Carthusianus Officium quotidie recitavit, quod Carthusianis persuaserat è cœlo S. Petrus Apostolus. Ora pro me, ut ita orem prout orare me volunt Sancti, & tu ipsa!*

27. Junii. 5. Kal. Julii.

SAncte Ladislae, Ungariæ Rex Apostolice, cujus aulæ familiares Angeli, tibi, in singulari certamine, strictis gladiis adstitêre: qui Geysam fratrem tuum ab iisdem coronari vidisti, & divino monitu, MARIÆ basilicam erexisti: qui orans, coruscus, & sublimis in aëre visus es à terra elevatus: qui copiosam tuo militi annonam precibus impetrasti; & in ipso terræ sanctæ adeundæ, & ab hoste vindicandæ, apparatu, cœlum sanctum ingressus es: cui mortuo, per triennium totum, attrata, prohibitis ludis, parentavit Ungaria; & corpus in curru, absque jumentis, ad Marianum templum Angeli devexêre. O defende me cum Angelis illis tuis in ultimo & singulari meo certamine! O experiar opem tuam; ut vincam horrendo illo duello mortis, ubi mihi pro summâ rei, pro æternitate, pugnandum, & moriendum, ac vincendum est! Amen.

S. Ferdinande Episc. sanctitate, literis, miraculis, celebrate.

s. Crescens Episc. M.

s. Zoile M. qui Agapito, devoto tibi Episcopo, qui tuum corpus, integrum repertum, piis osculis fuerat veneratus, dixisti, omnia illum, quæ per te à Jesu poposcerat, impetrasse; & addidisti: *Certus esto, quia dimissa sunt tibi peccata tua.*

Sancti novemdecim Martyres, socii s. Zoili.

s. Anecte, aliorum ad martyrium hortator, qui idolis oratione prostratis, à decem militibus verberatus, manibus pedibusque præcisis, capite truncatus es.

s. Sampson Presb. qui hospitalitati sanctæ deditus totus, Imperatorem, solo manûs contactu sanasti; & post mortem, grande incendium extinguere visus es.

s. Joannes Presb.

s. Paule, qui hoc die s. Franciscam Romanam hortatus es ad *amorem* Ss. Trinitatis, & illius unitatis, *qua ignem accendit amoris*; eam attentam esse jubens ad ea, quæ Deus agit: ea enim esse *optimè facta flamma amoris*, fac, ut omnia, quæ facio, flamma divini amoris erudiat, ut optimè fiant.

OMNES SANCTI, &c. *pag. 229.*

S. Maria, de cujus templo extruendo cum fratre deliberans S. Ladislaus, vidit cervum, cornibus, ac ardentibus facibus, seu Angelum, alis igneis perillustrem: & postea etiam ab Angelo monitus, ad aureum fluvium, *Basilicam Deo, nomine tuo insignem, erexit; ac addictissima tibi Dalmatia Croatiaq; regna* MARIANÆ *Ungarici tui regni corona adjunxit. Subde, Domina, subde faces cordi meo, quibus me, ad amandum in te, honorandumq; Deum, accendas. Subvehant tepidum istud*

istud cor meum pennis suis igneis Seraphini ; ut omnia quæ scribo, quæ loquor, quæ ago, quæ cogito, ardeant igne illo, quo tu soles tuos accendere , ô Mater pulcherrimæ dilectionis!

28. *Junii.* 4. *Kal. Iulii.*

SAncta Potamiæna, hostium Christianæ virginitatis tuæ per inaudita tormenta , fortissima triumphatrix; quæ, unà cum matre, igne consumpta, post mortem, Basilidis, tuæ olim virginitatis custodis, capiti cœlestem imposuisti coronam, cumque ad æternitatem beatam invitasti, quam ille, capite pro Christo plexus, ingressus est, Cœlestis virago, & beneficii, in terris accepti , etiam in cœlis memor! O, quæso, ora illic pro me; ut pro beneficiis è cœlo acceptis, gratus vivam semper, gratus moriar. Tuere me viventem, & morientem, contra hostes omnes in terris; ut æternitate coronatus, æternùm Deo, ac tibi, sim gratus in cœlis. *Amen.*

s. Leo secunde, doctissime, & magnanime Papa; viduarum, pupillorum, pauperum Pater. S. Leo, qui per s. Gertrudem cuidam, pro quo illa orabat, nunciasti; ut, si in locum quempiam incideret, in quo esset aliqua tentationis occasio, attentè orans diceret; *Fiat, Domine, cor meum, & corpus meum immaculatum !*

s. Irenæe Ep. *M.* contra hæreticos verbis ac scriptis acerrime.

Sancti Plutarche, Sereni duo, Heraclides, Heron, Rhâis, & Marcella, s. Potamianæ mater, Martyres.

s. Papi, qui flagris cæsus, in lebetem, oleo & adipe ferventi plenum, injectus, aliaque horrenda passus, cervicem dedisti Martyr.

S. Benigne Episc. Martyr.

S. Argymire Martyr.

S. Paule Papa.

S. Francisca Romana, quæ hoc die, in tua vinea, ex aspectu rivi decurrentis, ad gratiam Dei amoremque cogitandum, abrepta, & absorpta, per plures horas positis humi genibus, ab omni usu sensuum aliena tacebas! cùm verò rivo se effundente, in medio aquæ esses, inde tamen undequaque sicca exivisti; doce cor meum ex his, quæ video, elevare ad Deum amandum, atque laudandum.

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 229.

S. MARIA *quæ* S. Bertholdo, *unà cum Christo, & S. Petro, apparuisti, & ut Antiochia ab obsidione infidelium liberaretur, hodie impetrasti. Libera, Domina ab omni periculosa obsidione, seu tentatione, animam meam; ne peream!*

S. MARIA, *cujus* Patrocinii *festum, hoc die, anno* 1656. *ad agendas tibi pro beneficiis gratias, in Hispania est institutum, Pontifice illud etiam Indulgentiis nobilitante, fac ut ita te colam, ut tota vita mea, sed potissimum extremus vita mea dies, sit festus* Patrocinii *tui dies.*

29. *Iunii.* 3. *Kal. Iulii.*

SAncti Petre, & Paule, Apostoli gloriosi, Ecclesiæ beati Principes, nec in morte separati, conjuncti in æternitate. S. Petre, perpetuarum, pro peccato, etsi propitiato lacrymarum senex, Crucifixum JESUM secute, usque ad mortem crucis! qui nocte, hoc tuum festum præcedente, S. Ignatium Loyolam, tunc jam sacramentis ad mortem munitum, invisisti, & persanasti, S. Paule, vas electionis gloriæ Dei,

tota pro Evangelio Martyr!qui, capite abscisso, lac è collo fudisti; cujus resectum caput JESUM ter inclamans, tergemino saltu tres fontes divinitùs fecit erumpere. Orate, ut in ultimo vitæ periculo, ne me de æternitate periclitari permittat Deus. Uterque à Deo in aquis servati estis. Uterque morientibus pluribus propitii adfuistis. Adeste mihi in tempestuoso illo portu; ne naufragium faciam, patiatque. Sim æternùm sanctus! sim in triumphante æternitatis Ecclesiâ æternum Dei! s. Petre Apostole, cujus epistolas *auro* sibi describi voluit s. Bonifacius Archiepiscopus Moguntinus, S. Ealburgæ ita scribens; *Auro mihi conscribas epistolas Domini mei, S. Petri Apostoli, ad honorem & reverentiam sanctarum scripturarum: ut & hic opera tua, ad gloriam cœlestis Patris, aureis literis fulgeant.* Inscribat, imprimat cordi meo amor Dei typographus, aureo charactere, cùm omnia quæ scripsisti, tùm extremum illud, ut *crescam in gratia, & cognitione Domini nostri & Salvatois JESV Christi: ut in* me quoque sit *ipsi gloria & nunc, & in diem æternitatis,* Amen.

Sancti Marcelle, & *A*nastasi, Martyres, capite plexi.

s. Syre Episc.

s. Cassi Episc. sanctarum, in quotidiano sacrificio, lacrymarum vir, cui cœlitùs nuntiatum est: *Age quod agis, operare quod operaris, non cesset pes tuus, non cesset manus tua; Natali Apostolorum venies ad me, & retribuam tibi mercedem tuam.* Ita hodie à sacrificio Missæ sanctè peracto, & Corpore Domini distributo, sanctè migrasti.

s. Maria, sancti Joannis, Marci dicti, mater.
s. Benedicta Virgo.

Domine Jesu Christe, Magister cordium, qui hoc amantium te, *Apostolorum* tuorum die s. Gertrudi petendi, quomodo *summam dilectionem in opere* monstrare deberet? Respondisti; pasce *cor* tuum, divinis meditationibus; *os* tuum, salutaribus locutionibus. *oculos* tuos, sacris lectionibus; *aures* tuas, continuis exercitationibus. Nam quoties horum unicuique studueris, hoc semper suscipiam *pro summa exhibitione dilectionis*. Erudiat me ignitum eloquium tuum vehementer; ut vehementer amem, & corde, ore, manu, oculis, toto corpore & animo, summæ dilectionis operibus me impendam, & superimpendam.

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 219.

S. *MARIA, cujus Quadragesimam MARIAnam S.* Franciscus *hodie inchoabat, usq; ad festum assumptionis tuæ perducendam. Vince, Domina, gulam meam, Doce me carnem hanc ad obsequia tua domare, subigere.*

S. *MARIA*, novæ lucis *hac die, Drepani, solenni supplicatione, ubiq; per iter in supplices tuos benefica, & in templo S. Iuliani collocata, postea cæco illuminato; aliisq; admirandis gloriosa cujus in sinu sedens lætus Parvulus, altera manu* facem accensam *tenet, cordibus accendendis; & in diademate scriptum gerit:* S. *MARIA* novæ lucis. *Accendat cor meum face sui amoris Parvulus tuus* JESUS, *te id mihi obtinente, ò Virgo potens, apud Filium omnipotentem: ita eris mihi Mater* novi ignis, *novi amoris, novæ lucis, igne veteri amoris proprii extincto, & novo igne accenso!*

30. Iu-

30. *Iunii. Prid. Kal. Iulii.*

SAncta Erendrudis V. Abbatissa, magistra virtutis, mater pauperum, pedum, ac ulcerum lotrix; ad mensam [plus] divinis audiendis colloquiis pasta, quàm cibo; cui, sub mortem, frequens in corde, frequens in ore, illud: *Mihi autem adhærere Deo bonum est ponere in Deo spem meam*: cujus post mortem reliquiæ Henrico Imperatori valetudinem integram reddidêre; è cujus hæreditate quidpiam occupans, in ipso perjurio, morte horrenda extinctus est. Misericordissima Virgo, illam mihi divinorum avidam famem, ac sitim; illam Deo adhærendi voluntatem, illam adeò cordatam spem impetra; ut illud *adhærere Deo bonum*, sit mihi bonum æternum; neque me à Dei adhæsione avellat æternitas. Amen.

Ss. Alpiniane, & Austricliniane.

Sancti Cai Presb. & Leo.

s. Basilides Martyr.

s. Ostiane Presb.

s. Lucina, sanctorum ancilla, & mater, hospitalitatis sanctæ exemplar.

s. Æmiliana Martyr.

s. Theobalde, sanctissime peregrine, qui & matrem tuam, ad solitudinem pro Christo incolendam pertraxisti; & novus Job inter dolores antequam expirares, terra motu insolito quinquies concussa est: à morte verò, energumenorum, ac ægrorum asylum.

s. Martialis Episc. à quo revocatus ad vitam adolescens, jussus ea, quæ in inferno vidit, narrare, surrexit, & dixit: *Infernus nullam habet mensuram, ibi est fletus, & amaritudo, tenebræ, mugitus,*

planctus, tristitia magna, frigus , & ignis magnus & horribilis, & nunquam deficiens , morsus serpentum , fœtor intolerabilis, putredo , miseria, & vermis , qui nunquam moritur, ibi sunt carcerarii infernales , qui animas flagris cruciant : quem morientem vox ad cœlos invitans è cœlo audita est , Angelis quoque hæc verba canentibus: *Beatus est , Domine quem elegisti & assumpsisti ; habitabit in tabernaculis tuis in sæcula sæculorum !* Doce me, ut sciam vivere ab hoc vitæ reddito; & agere omnia è regula æternitatis.

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 229.

S. MARIA, *quæ hodierno* Arnulpho *tuo ferè quotidie apparuisti , illum tua in cœlo gaudia docuisti ; illi* JESUM *parvulum porrexisti ; ab illo* Cordis *nomine vocitata. Fac tu, Domina, in me omnia cordis officia: ames cor meum corde tuo Te* JESUM , *Ss. Trinitatem, in æternum !*

ORATIONES JACULATORIÆ.

præcipuè tempore tentationis.

NOlo te offendere ; quia amo te super omnia: & ideo doleo super omnia ; quod te hactenus offenderim Deus meus, & omnia.

Deus meus, mihi ubique præsens , & me videns, tuus sum ego; salvum me fac; defende me; ne perdam , imò , ut augeam thesauros pretiosæ gratiæ tuæ.

Ave MARIA, ora pro me nunc, nunc, & in hora mortis meæ. MARIA, Mater gratiæ, *&c.* Per sanctam, & immaculatam Conceptionem tuam, & per Virgineam Maternitatem tuam , purissima Virgo, emunda cor meum, & carnem meam, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.

S. Pau-

S. Paule, S. Antoni, S. Catharina Senensis, S. Thoma de Aquino, & omnes Sancti olim tentati, sed victores, defendite, juvate me, ut vincam.

Sancte Angele mi Custos, & omnes Sancti, & Sanctæ Dei, defendite me contra infernum.

O vos felices in Purgatorio animæ, juvate me, ut vincam, & ego grati animi tributum aliquod vobis pendam.

Deus in adjutorium meum intende; Domine, ad adjuvandum me festina. O quot sunt in inferno, quos punis, ob tentationem similem non superatam; quot sunt in cœlo, quos coronas, ob tentationem similem superatam!

Mors, Judicium, infernus, Purgatorium; Cœlestis gloria, omnia mihi clamant, ut amem Te, ut timeam Te Deus: ut non audiam tentatorem, sed Te.

Vince in me, Jesu: triumpha in me, & in tentatis omnibus, qui in tot tentationes vincentium Sanctorum cordibus triumphâsti; ut Te amemus in æternum.

Veni sancte Spiritus, & emitte cælitus lucis tuæ radium.

DEus, *qui diligentibus te facis cuncta prodesse, da cordibus nostris* inviolabilem tuæ charitatis affectum; *ut desideria de tua inspiratione concepta, nulla possint tentatione mutari Per Christum Dominum nostrum. Amen.*

*A*d majorem DEI, DEIPARÆ, ac Sanctorum omnium gloriam, & ultimi agonis nostri solatium sanctum?

ANNI CÆLESTIS.
Indiculus in Partem primam.

A.

Ang.

Auxem

donum;

C.

Cælum

Cibus

De

Gra-

Manus

CLAUSULA QUOTIDIANA

OMNES SANCTI, quos felici morte defunctos, hodie felici æternitate donavit Deus:

Omnes sancti mei nominis, & meæ patriæ, ac Patroni mei menstrui omnes.

Omnes sancti nationis, & conditionis meæ.

Omnes sancti, quibus sacra est illa, quæ mihi nascenti prima fuit dies.

Omnes sancti, quibus sacra est illa, quæ mihi morienti ultima erit dies,

Omnes sancti, & sanctæ Dei; vos potissimùm, qui in hac vita maxime excelluistis in amore Dei: tuque ô MARIA, *Mater* agonizantium, orate pro omnibus hodie nascentibus, & hodie in agone supremo periclitantibus; impetrate mihi à Crucifixo JESU, felicem mortem, beatam æternitatem, Amen. Credo, spero, amo, adoro te, pulcherrime, ac optime, super omnia, Deus meus! & ideò de peccatis meis doleo; ac desiderio plus dolere, & confiteri. Doleo super omnia; quòd te tam ingratus offenderim, Deus meus, & omnia! in gratiarum actionem, & satisfactionem, offero tibi hujus diei, & vitæ meæ totius, actiones, atque momenta singula, conjuncta omnibus lacrymis pœnitentium sanctorum, omnibus guttis lacrymarum, & sanguinis JESU, omnibus meritis *JESU MARIÆ*, & omnium Electorum tuorum: ut te videre, ac amare, unà cum illis, & unà tecum, merear in æternum. Amen.

FINIS.

INDICULUS IN II. Partem Anni Cœlestis.

A.

Con-

Di-

G. Gau-

G.

H.

I.

M.

N.

O.

P.

R.

S.

Omnes Sancti & Sanctæ Dei, intercedite pro nobis, nunc, & in hora mortis nostræ! Amen.

PIE LECTOR.

Majori tuo commodo, additur hoc quoque loco CLAUSULA *singulorum dierum.*

OMNES SANCTI, quos felici morte defunctos, hodie felici æternitate donavit Deus.

Omnes Sancti mei nominis, & meæ patriæ, ac Patroni mei menstrui omnes,

Om-

Omnes Sancti nationis, & conditionis meæ.

Omnes Sancti, quibus sacra est illa, quæ mihi nascenti prima fuit dies.

Omnes Sancti, quibus sacra est illa, quæ mihi morienti ultima erit dies.

Omnes Sancti, & Sanctæ Dei; vos potissimum, qui in hac vita maximè excelluistis in amore Dei: tuque, ô MARIA, Mater agonizantium, orate pro omnibus hodie nascentibus, & hodie in agone supremo periclitantibus: impetrate mihi à crucifixo Jesu felicem mortem, beatam æternitatem, Amen.

Credo, spero, amo, adoro te, pulcherrime, ac optime, super omnia, Deus meus! & ideo de peccatis meis doleo; ac desidero plus dolere, & confiteri. Doleo super omnia; quòd te tam ingratus offenderim. Deus meus, & omnia! in gratiarum actionem, & satisfactionem, offero tibi hujus diei, & vitæ meæ totius, actiones, atque momenta singula, conjuncta omnibus lacrymis pœnitentium Sanctorum, omnibus guttis lacrymarum, & sanguinis Jesu, omnibus meritis Jesu, MARIÆ, & omnium Electorum tuorum: ut te videre, ac amare, unà cum illis, & unà tecum, merear in æternum, Amen.

AD ANGELUM CUSTODEM quotidie.

Amantissime, dulcissime, solertissime mi Angele Custos, dux protector, magister, amice verè fidelis, verè thesaurus immortalitatis meæ! Gratias ago Deo meo, pro te mihi dato, & pro donis omnibus, qui;

quibus ornavit te. Gratias ago tibi, quòd me sanctè à prima nativitatis meæ hora, protexeris. Perge, usque dum me sistas Deo ibi, unde ad me custodiendum es missus. Doleo, quòd non semper fuerim ad omnem tuum nutum, quòd te contristaverim, quando feci aliquid, quod placebat angelo tenebrarum: Suggere cordi meo, quæ Deus vult; & tardi cordis mei duritiem, ac surditatem vince. Sensus meos omnes, & cor meum guberna, MARIAM Reginam nostram, & Sanctos omnes, ac Sanctas Dei, præcipuè Patronos, & Patronas meas, tibi pro auxilio adjunge: totum me sacratissimæ Trinitati, per Jesu sanguinem, & *MARIÆ* manus, ex toto dedica, in holocaustum æternum; omnes omnino (etiam quas indifferentes dicimus) actiones meas, ad majorem Dei gloriam, offer ad thronum gratiæ ejus, & gloriæ. Nunc, & in hora mortis, ita mihi, cum sociis tuis Angelis, & Sanctis, ope tua assiste, ut omnia, & singula momenta vitæ, ac mortis meæ, sint mihi, tibique æterno solatio; *JESU*, *&* *MARIÆ*, æterno honori, & amori, in felici beatorum *Angelorum* æternitate, in qua, gratulor, quòd manseris fidelis, cum fidelibus Seraphinis, ac aliis; non verò consenseris rebellibus, neque cum illis præceps rueris in ignem æternum. Conserva me quoque, ut sim fidelis; usque ad mortem, ac immortaliter amem Deum unà cum Seraphinis, tecum, & cum aliis: & sim socius fidelium, non rebellium, Angelorum. Amen.

FINIS.





